quod amissurus fuisset ob dilatam pretii solutionem : hujus enim interesse ratio habetur in mercatore negotiari solito, Joan. à Capistr. *de loc.* & post Anan. Salic. Dec. & alios tradit Joan. Lupus *d.* §. 5. *num.* 20.

13 Ulteriùs quæro, an censualis contractus ad tempus limitatum sit de jure licitus.

In terminis juris communis videtur licitus, quia continet in se veram venditionem excludentem mutuum, & adest pretium certum, & certa etiam merx, quæ est jus exigendi annuam prestationem per tot annos, & cùm venditor non teneatur, nec cogi possit sortem ipsam reddere, procul abest hic contractus à mutuo, & ab usuræ vitio ; id enim, quod venditor pluribus solutionibus determinato tempore separatim factis teneatur restituere sortem, procedit ex eo, quòd in hoc contractu certo pretio emitur jus limitatum percipiendi annuam præstationem per tot annos & non ultra ; & ita tenet Innocen. *hic num.* 1. quem ad verbum refert, & sequitur Joan. Andr. *eodem num.* & concordant Hostien. *num.* 2. *in verb. Usurarum*, Cardin. *in* 3. *quæst.* Abb. *n.* 7. dicens ita tenere Innocen. Hostien & communiter omnes DD. sequentes Joan. de Anan. *num.* 21. *vers. In secundo casu*, plenè Anchar. *consil.* 30. incipien. *Dubitare solet*, Conrad. *de contract. quæst.* 80. Joan. de Med. *de reb. per usur. acquis. quæst.* 13. Sotus *de just. & jur. lib.* 6. *quæst.* 5. *art.* 2. *col.* 2. *vers. Pari jure*, Navar. *de usur. num.* 71. Covar. qui alios citat *lib.* 3. *var. resol. cap.* 7. *num.* 4. & ratio est evidens, quia si possum emere censum perpetuò duraturum, quod est indubitatum, nulla subest ratio, quare non possim emere ad certum tempus, ut per Anchar *d. cons.* 30. & tradunt omnes supra cit. Nec placet differentia, quod in perpetuò consistat contractus emptionis, ex quo merx est perpetuò remansura penes emptorem, quod secùs est in censu temporali, in quo res revertitur ad venditorem, ut per Joan. de Anan. *dict. num.* 21. qui etiam in temporali res non revertitur ad venditorem, ex quo dictum jus percipiendi limitatum ad certos annos elapsis dictis annis finitur & cessat. Et hæc procedunt non solùm venditione census antiquitùs constituti, ad quem se restringit Innoc. & Joan. Andr. sed etiamsi agatur de censu, qui eodem tempore contractùs constituitur, cùm etiam ille habeat eamdem rationem mercis, ut voluit Card. *ubi supr.* Conrad. *d. qu.* 80. *concl.* 3. qui reprobant distinctionem Innoc. quam etiam reprobat Sot. *de just. & jur. lib.* 6. *quæst.* 5. *art.* 1. *concl. in fin. & in* 2. *concl.* & est communis opinio.

14

15 Et ejusmodi contractus absque dubio est validus, & nullam habet fraudis suspicionem, ubi ex particularibus locutionibus toto tempore census nihil recipitur ultra pretium datum : quòd si per particulares solutiones emptor sit aliquid recepturus ultra pretium conventum, nihilominùs validum esse de rigore censuerunt Innocen. Hostien. & Joan Andr. & sequentes supra cit. quia hæc lucri certitudo, quæ reprobatur in mutuo, admittitur in contractu emptionis, in quo potest quis successivè ex re empta plus percipere, quàm sit pretium numeratum pro d. re empta, maximè consideratis oneribus, quibus emptor se supponit, & hanc opinionem tenent Conrad. *dict. quæst.* 80. *conclus.* 1. *&* 4. Navar. *dict. num* 71. & Covar. *dict. cap.* 7. *sub. num* 4. & aliàs hujusmodi contractus nunquam reciperetur tanquam inutilis, & frustratorius, ut dicit Joan Lap. *in tract. de contract. c.* 55. *vers. His suppositis lib.* 1.

16 Omnes tamen prælegati DD. dicunt ab eo tanquam mutuo proximo, & præse ferente speciem mali esse abstinendum : ita in specie Innoc. hic ad fin. dicens consulendum esse omnibus fidelibus, ut ab hujusmodi contractu abstineant, Joan. Andr. *num.* 2. *vers. Sed certè consulendum est*, Cardin. *in* 3. *quæst. vers. Hanc dicit Innocent.* & Anchard. *n.* 4. *in fin. vers. Consuluit tamen Innocent.* & Conrad. *d. quæst.* 80. *concl.* 4. *in fin.* qui dicit consulendum esse Magistratibus, ut illum prohibeant, Sot. *d. quæst.* 5. *art.* 3. *in fin.* qui etiam dicit se non audere approbare hunc contractum absque formidine, ut possit hujusmodi pecuniarii census certi temporis emi, nisi tanto prorsus pretio, quanto est omnium pensionum summa Cov. *d. c.* 7. *n.* 4. qui dicit consulendum esse, Christianis, ut ab eo abstineant, utile esse illum à Republica relegare & rejicere, Medin *d. quæst.* 13. qui etsi dicat de rigore scholastico posse defendi opinionem Conradi, ut possit emi minori pretio, ubi adest consuetudo communiter approbata, ipse tamen tenet contrariam opinionem uti tutiorem, ut non possit emi minori pretio ex quo contractus habet speciem mali & magnam similitudinem cum usurario & sequi possunt ex eo multa inconvenientia, quæ ex vero contractu usurario evenire solent.

17 Ex hoc nullam habet difficultatem ubi adest excessus in proportione debiti pretii, quia aliàs redderetur iniquus, ut fatentur Innocen. *hic numer.* 2. Hostien. *numer.* 7. *in verb. Usurarum*, & Joan. Andr. *numer.* 2. non posteà quam dixerunt, si quis pro certa pecuniæ quantitate emeret aliquem redditum grani, vel vini, vel alium consimilem perpetuò, vel ad certum tempus, vel ad tempus vitæ alicujus, hujusmodi contractum esse licitum : immediatè hoc limitant, dummodò redditus annus communi æstimatione non excedat annuatim redditum quem de tanta pecunia in terra empta potuisset habere, si verò excedat communiter, est illicitus, argum. *cap. Consuluit*, *infra eod.* Idem dicunt Conrad. *dict. quæst.* 80. *concl.* 2. & 4. Navarr. *d. num.* 17. Covarr. *d. cap.* 7. *num.* 4. qui dant exemplum in censu decem vendito pro scutis nonaginta ad decem annos, & ad summum pro quindecim annis ; & omnes concludunt pretium debere esse justum arbitrio boni viri, quem credo non esse arbitraturum pretium justum in censu novem scutorum vendito pro centum scutis ad vigesimos quintos annos, quo tempore facta supputatione emptor habiturus est longè ultra dimidium ejus, quod dedit, maximè considerato modo hujus contractus, quo emitur virtualiter annuus census ad rationem quinque pro centenario, cum hoc ut venditor teneatur omni anno restituere vigesimam quintam partem capitalis, videlicet quatuor, quæ juncta cum dictis quinque faciunt novem, adeò ut non facta redemptio, puta ante duodecim annos, non obstante, quod emptor jam recuperavit duodecim vigesimas quintas sui capitalis, adhuc pro reliqua dimidia capitalis exigit quinque ad rationem 18. pro centenario & si non redimatur, nisi in 24. anno pro scutis quatuor capitalis, quæ remanent in exacta, exiget novem pro fructibus, quod est ab omni ratione alienum, maximè erga pauperes, qui non possunt se redimere & in 12. anno solvent ad rationem 19. pro centenario in 18. anno ad rationem 100. pro centum & in 24. anno ad rationem 200. pro centum, quod repugnat bono universali & maximè pauperum, pro quibus edi dicitur hujusmodi Constitutio. Hæc de jure communi ; sed hodiè præscripta est forma novissima creandi census in Bulla 79. Pii V. cui quidem Bullæ proculdubio supponitur census pecunarius certi & indeterminati temporis, ut per Navarr. *in tract. de Usur. in gloss.* 18. *sup. de Bulla.*

18

Cæterum etsi dubitari non possit emptiones censualium reddituum, si juxta formam ibi præscriptam celebrentur licitas esse, quia tamen non nihil suspectæ omni tempore vitæ sunt, ab eis abstinendum esse cautè censuerunt post Innoc. & alios supra citatos *num.* 16. Tiraq. *de retract.* §. 1. *gloss.* 6. *num.* 10. & Joan. Bapt. Lup. *in l.* 2. *Cod. de pact. int. empt. & vendit*, §. 2. *num.* 61. & veluti odiosas restringendas esse dixerunt Tiraq. *ubi supr.* & Covar. *var. res. l.* 3. *cap.* 7. *num.* 7. Itaque tum veteres Pontifices Martinus & Calixtus, tum Pius V. certis cancellis & conditionibus hujusmodi contractus indulserunt, quia cùm viderent genus hoc contractuum adinstar clipei redactum esse pro subterfugiendis usuris, videntur voluisse potius animarum saluti consulere & corruptelæ occurrere, quàm has censuum venditiones & emptiones uti conducibiles approbare. Et quod attinet ad Constitutionem Nicolai V. qua licentiam concedit ejusmodi contractus in Regno Siciliæ celebrandi, pro dispensatione illam fuisse editam satis liquet ex ejus inspectione, quia cùm esset frequentiori usu recepta & posteà populi illa pro lege uterentur, Pius V. salubri sua Constitut. tam gravi morbo subverire tentavit & quò plures conditiones adjecit, ut ab usurarium prævitate cautum sit, eo plus suspicionis inesse his contractibus indicavit, dum ad diluendas præsumptiones usurarum præfixit certos limites censuum emptionibus, & venditionibus. Ad hæc animadversione dignum videtur, quòd Constitutiones Pontificum super censibus locales omnes fuerunt, cùm supponeretur jam in illis locis vigere hujusmodi contractus. Pius Quintus verò angustiùs coërcere voluit licentiam, quam contrahentes vigore dictarum Constitutionum sibi usurpaverunt, ut vix sine labe, aut saltem scrupulo hujusmodi contractus celebrari posse videantur ; quia tamen liber credere, his omnibus accuratius consideratis Concilium provinciale ut fœneratitiis contractibus materiam subtrahere similem facultatem in Provincia Medionali indulgendam censuisse ; an consuetudo hæc introduci debeat, ubi hactenus censuum contractus in usu non fuerunt ; judicium erit Sanctissimi.

Et quatenùs censibus aperiatur aditus, non videtur certum pretium generaliter statui posse, aut debere quo hujusmodi redditus annui emi debeant, nam rerum pretia non solùm pro diversitate locorum sed & temporum variantur, item pro copia & penuria ementium aut vendentium, idemque mercium vel pecuniæ numeratæ, l. *Pretia rerum*, §. *fin. cùm hic notat. ff. ad l. Falc.* Cùm igitur rerum æstimatio quæ pretium est, *l. In summ.* §. *Frumentum*, *ff. de condict. indeb.* ut sit justa, commensurari debet valori rei secundum tempus præsens, in quo res ipsa venditur ac traditur, ex Sot. *de us. & in l.* 6. *quæst.* 4. *art.* 1. sequitur ut per legem aut edictum aliquod generale proposita taxatio fieri non possit.

20

21

22

23

24 Non etiam videtur expedire, ut decernatur ne annales census certam summam excedant juxta Constitutionem Nicolai V. nam ut docuit experientia, si ostendatur summa quam excedere non liceat, cedet hoc in præjudicium venditorum pecuniis indigentium, semper enim suadebant emptores vendentibus, ut sint contenti dicto pretio, quod usu venit post Bullam Nicolai V. secundum quam census ad rationem decem pro quolibet centenario venduntur, quia pretium per eum sic taxatum fuerat, quam ob causam Navarrus *in Man. cap.* 23. *n.* 77. hujusmodi taxationem vide-

25 tur improbare & Joan. Bapt. Lup. *in d. l.* 2. *Cod. de pact. in empt. & vend.* §. 2. *n.* 71. dicit secundum communem opinionem Doctores licitam esse emptionem census quandò illius redditus & pensio incerta sit.

26 Similiter non videtur sufficere, ut habeatur ratio fructuum qui communiter perciperentur ex prædiis si illa emerentur secundum temporis qualitatem jus enim exigendi pensionem aut redditus annuos cum conditionibus & oneribus annexis minoris valent quàm ipsi fructus qui liberè ex prædiis percipiuntur. Etenim emptores census in subjiciuntur

27 multis periculis sine spe lucri, quod emptores fructuum sperare possint. Præterea certum est onera & pactum de redimendo, quo censuum emptores tenentur minuere pretium rei, Tiraquel. in *præfatione de retract. convent. n.* 20. post Abb. in cap. *Ad nostram*, *de emptione & venditione*, non enim est dubium quin pacta & onera apposita in vendi-

28 tione faciant partem pretii, ut per Tiraquel. hic *num.* 22. quantùm autem debeat minui pretium censualium redditum pensatis conditionibus & oneribus illis annexis vel relinquendum est, ut ipsi inter se contrahentes despiciant & conveniant, prout conveniunt quandò emitur prædium cum pacto de retrovendendo, aut cum aliis oneribus ad trad. in dict. *l. & in cap. Ad nostram.* vel potest Sinodus provincialis decernere quanti minoris licitè emi possint hujusmodi annales census, quàm emerentur fructus qui communiter perciperentur ex prædiis si illa empta forent, verbi gratiâ, quia talia onera non possunt minui ultra tertiam vel quartam partem justi pretii ipsorum fructuum juxta id, quod factum fuisse in Sinodo Florentina refert Lupus, *ubi sup. n.* 75.

29 Porrò celebrato hujusmodi contractu census secundum terminos legitimæ obligationis, nihil prohibet quin accedant quæcumque obligationes Camerales, fidejussiones & generales bonorum hipothecæ quibus contrahentes efficacius astringantur ad observationem eorum quæ in principali obligatione continentur, tam ratione evictionis prædii, super quo census constitutus est, quàm etiam quoad solutionem annui census. Si quidem hæ cautiones sequuntur naturam principalis contractus & quatenus respiciunt excusationem contractus censualis, non immutant ejus formam ; & consentaneum legibus est, ut caveat sibi contrahens, ne eludatur ; imò ut ille ait contrahentem si centum vincere catenis studeas, effugiet tamen.

Quod verò Pius V. prohibuit pacta omnia continentia morosum censuum debitorem in aliquam pœnam cadere non eo pertinet, ut morosus non possit se subjicere censuris & obligari in forma Cameræ, quia prohibetur pœna temporalis ad obviandum fraudibus usurarum, per quam prohibetur emptori aliquod pretium exigere ultra creditum suum.

30 Cæterùm ut res censualis reddat tantùm quantùm est census non sufficiat ut valor rei censualis æquet aut superet summam pecuniarum quibus census emitur ; nam in contractibus censualibus non emitur res, sed jus petendi pensionem valor autem ejusdem juris non est major quàm ipsa pensio, Sot. *de just. & jur. lib.* 6. *quæst.* 5. *art.* 1. *vers. Restat.* Undè ut talis pensio loco fructuum subrogetur cùm 31
census non possit constitui nisi super re fructifera de sui natura ex Bulla Pii V. necesse est, ut non possit excedere valorem reddituum, qui annuatim ex re percipiuntur, & quatenùs destitueretur fundamento reali & usura committeretur.

Cùmque re pro parte perempta vel infructifera reddita, 32
pro parte etiam census perimatur ex Bulla Pii V. manifestum est censum debere cum fructibus rei commensurari.

Consideratio autem proposita fortè locum habitura esset 33
si ageretur de introducendo censu, quem vocant reservativum, id est cùm quis rem suam alteri tradit reservato sibi jure quotannis percipiendi partem quam piam seu pensionem ex illa re, de quo in *l. ult. Cod. de re permut.* & per gloss. *penult. in cap. Constitutus de Relig. domib.* de hoc enim sentiunt Doctores tenentes in dubio præsumi contractum emphiteuticum potiùs quàm censualem, quia ille minus præjudicialis est Ecclesiæ. Eadem verò consideratio accommodari non potest ad censum, de quo inducendo agitur qui consignativus appellatur, ut dùm quis retentis suis bonis, eorumque usu consignat alteri certam pensionem quam obligatur solvere singulis mensibus aut annis ex Sot. *de just. & jur. lib.* 6. *q.* 5. *art.* 1.

Hic censualis contractus, de quo loquitur Constitutio 34
Pii V. adeò distat à contractu emphiteutico, ut nihil ferè commune cum eo habeat, ut notat gloss. penult. Cardin. Anchar. Abb. & alii communiter in dicto capite *Constitutus*, *de Rel. domib.* nam is qui rem suam in emphiteusim concedit transfert in accipientem dominium utile & sibi directum retinet. Qui rem suam supponit censui retinet suus rei dominium & usum, vendit autem solum jus percipiendi pensionem sive in fructibus, sive in pecunia vel re aliqua utili ut vult gloss. præalleg. & Bald. *cons.* 379. incipien. *Sequitur n.* 7. *vers. Quæro quod jus result. lib.* 1. Emphiteuta vendens non sine consensu Domini, incidit in commissum, *l.* 2. *Cod. de jur. Emphit.* Censuarius rem censui suppositam liberè potest vendere, Emphiteuta habere in re dominium utile, at qui emit censum habet ramen hipothecam re censuit supposita. Emphiteuta ob non solutionem canonis incurrit pœnam caducitatis, *c. Potuit de locat.* Censuarius morosus nunquam amittit rem censuariam ut est text. in d. cap. *Constitutus*, & hic præcitata gloss. penult. & communiter Doctores. In emphiteusi re pro parte perempta non minuitur, canon. *l.* 1. *Cod. de jur. emphit.* In hoc casu re pro parte perempta vel infructifera reddita perimitur etiam pars census. Aliam differentiam ponit Evardus *in sui Centuria legali in loco ab emphiteusi ad censum*, *n.* 4.

Sicut igitur fieri non potest ut censualis hic contractus regatur clausula contractus emphiteutici, ita verendum non est, ne fiat præjudicium Ecclesiis respectu pensionum quas jure emphiteutico exigere intelliguntur, si de novo census hic consignativus inducatur.

48 *Usura mentalis committitur cùm quis ex mutuo lucrum sperat: secùs si ex alia justa causa.*
49 *In societate super officio ultra valorem gravato fructus non accipiuntur ratione mutui, sed ratione periculi, quod sui natura non est illicitum & numer. seqq. & numer. 71.*
50 *Periculum amissionis sortis in societate officiorum est pecunia æstimabile ad rationem duodecim pro centenario.*
51 *Pretii justitia desumitur ex consuetudine longissimi temporis cum superiorum tolerantia.*
52 *Societatis contractus tunc justus dicitur, cùm inter socios lucri & damni servatur æqualitas.*
53 *Mortis eventus inter casus fortuitos computatur.*
In societatibus officiorum cessat suspicio usurarum propter incertitudinem vitæ ibid.
54 *In societate officiorum fructus justè percipiuntur non ratione societatis, sed ratione periculi.*
55 *Usura an sit mutuare pecuniam rustico, ut justa mercede agros mutuantis colat & n. 56. & 57.*
56 *Usurarium non est periculum in se suscipere, & aliquid ultra sortem recipere, nisi in contractu mutui.*
59 *Contractus mutui quoad usurariam pravitatem multùm differt à contractu denominato & n. 62.*
60 *Contractus, in quo datur alicui pecunia cum pacto duplum restituendi, si accipiens ducat uxorem, aut Presbiter fiat, non est usurarius.*
61 *Mutuans cum pacto ut nihil sibi restituatur, si mutuatarius intra certum tempus moriatur, si vivat, duplum restituat, an committat usuram & n. seq.*
63 *Officialis potest inire societatem super fructibus sibi debitis à recognoscentibus bonam fidem.*
64 *Actus si non valet ut agitur, an valeat ut valere potest, n. 66. & seqq.*
65 *Contractus non à nomine, sed à conventionibus, & circumstantiis sortiuntur naturam.*
66 *Actus in dubio censetur factus omni meliori modo.*
67 *Juramentum facit ut actus etiam nullus defectu formæ valeat omni meliori modo quo potest.*
68 *Contractus in dubio neque injustus, neque usurarius est judicandus.*
69 *Societas officii congruè appellari potest, etiam si contracta fuerit super officio ultra valorem gravato & n. seqq.*
70 *Nuptiæ undè dictæ.*
71 *In societate officiorum non deserviunt officia nisi pro colorando contractu, qui solùm sustinetur ratione periculi amissionis capitalis.*
72 *Societas contracta super officio ultra valorem gravato extinguitur sublato officio.*
75 *Bulla Pii IV. de societatibus officii non contrahendis super officio ultra valorem gravato continet jus positivum & n. seq. usque in fin.*
76 *Contractus natura hoc non patitur, ergò est contractus injustus, erronea est consequentia.*
77 *Contractus quando dicatur jure positivo vel naturali prohibitus.*
78 *Societates officiorum an contrahi possint super officiis extra Romanam Curiam existentibus.*
79 *Constitutio revocata, vel illius ratio ad decisionem causarum allegari non potest.*
80 *Societatem ignoranter contrahens super officio gravato, præter sortem potest etiam fructus recuperare.*
81 *Bona fides in his quæ sunt juris naturalis potest excusare à peccato, sed non à restitutione.*
82 *Societates officiorum ex stilo Curiæ fiunt etiam super officiis ultra valorem gravatis.*
Constitutionibus Apostolicis objici non potest quòd non sint usu receptæ, sed benè objici potest quòd per contrarium usum sint abrogatæ.

1 NAviganti. Gregoriana est, ut inquit Joannes Andreas & ideò legalis secundum Joannem de Anania & ipsa se summat & dividit. Breviùs tamen sic summari potest. Recipiens aliquid ultra sortem, usurarius censetur, licèt periculum in se suscipiat. Hoc dicit primò. Emens rem minùs justo pretio non est usurarius, si tunc verisimiliter dubitetur an tempore
2 traditionis plus vel minùs sit valitura. Hoc secundò. Propter
3 dubium excusatur is qui ex eo quòd differt solutionem pretii, vendit rem plus quàm valeat, si tunc non erat aliàs venditurus. Hoc tertiò; & ita sunt tria dicta. Secundum hic. *Ille quoque.* Tertium hic. *Ratione hujus dubii.*

4 Nota primò hic, *pro eo quod suscipit in se periculum*, textum expressum qui non reperitur alibi, quòd mutuans pecuniam naviganti vel eunti ad nundinas, si aliquid ultra sortem recipiat, ab usuræ vitio non excusatur, ex eo quòd pecuniæ periculum in se suscipiat; & per hoc signa differentiam inter jus
5 Civile & jus Canonicum, nam de jure Civili permittebatur nauticum fœnus, ut *cod. de naut. fœn. per tot.* ita ut mutuanti periculo suo pecuniam ultra mare vehendam liceret recipere usuram etiam centesimam, ut l. *Nihil, ff. eod.* quæ scilicet
6 in anno æquatur sorti, ut per Host. *in c. Quantò n. 5. supra eodem & in summa de usur.* §. *ex quibus*, vers. *Item in trajectitia & vers. seq.* & dicebatur hujusmodi pecunia trajectitia
7 eò quòd trans mare periculo creditoris trajiceretur, l. 1. *ff. de naut. fœn.* & hic notant Host. & Joan. Andr. ambo *n.* 1. & Calder. *n.* 6. & erat hoc speciale in usura nautica in qua erant & alia specialia, nam aliæ usuræ sine stipulatione non debebantur, nautica verò debebatur etiam ex pacto nudo, l. *periculi*, §. *fin. ff. eod. tit.* secundum Cald. hic *n.* 7. & Card. *n.* 1.

8 Verùm de jure Canonico, usura hæc nautica omninò reprobatur, ut hic est textus clarus, quo sublata est juris communis dispositio & correctus totus titulus, *ff. & cod. de naut. fœn.* ut hic firmant Host. *n.* 1. 2. & 3. Card. *in princ.* ubi sic summat textum, videlicet (nauticum fœnus de jure Canonico reprobatur) & fusiùs *n.* 1. *in* 1. *oppos.* Anchar. *in* 2. *not.* Joan. de Anan. *n.* 1. & Joan. Crot. *n.* 8. *in* 3. *not. tom.* 4. *Repet. fol.* 363. dicens. (Nota quòd per justum textum est correctus totus titulus, *ff. & cod. de naut. fœn.*) & quamvis contrarium teneat Jacobus Butrigarius in l. 1. *cod. de naut. fœn.* exemplo duorum qui ludunt taxillis, nam cùm subjiciant se fortunæ periculo, si unus vincatur ab alio, lucrum licitè retinetur; & Joan. Crot. dicat hanc opinionem sibi aliquandò placuisse, eò quòd cùm creditor suscipiat in se periculum pecuniæ & aliquid recipiat ultra sortem, hoc non est contra jus Divicum; ideòque jus Civile servabitur in terris Imperii juxta glossam *in c.* 2. *de arbitr. lib.* 6. & Abb. *in c. Dilecti de re judic.* Attamen, ut idem Crotus subdit, prior opinio est tenenda, quia hic textus prohibet talem contractum uti
9 usurarium; & ita illum prohibet ratione peccati, in materia autem concernente peccatum, jus Canonicum in totum derogat juri Civili & ubique locorum servari debet, *c. fin. de præscript.* Bart. & Doctores in l. *Privilegia*, *cod. de Sacrof. Eccles.* Idem voluit Salic. *in Auth. Ad hæc in* 3. *col. cod. de Summa Trinitate*, *dicens* legibus loquentibus de usura nautica hodiè non esse accommodandum assensum propter id quod habetur in hoc cap. Nec obstat dictum Jacobi Butrigarii, quia non est verum per hunc textum, ut inquit Joannes de Anan. hic *n.* 3. post Petrum de Anchar. cujus manuscripta dicit se vidisse & attestatur ita communiter teneri, de communi etiam attestatur Navar. *in Man. c.* 17. *n.* 221. & ex Theologis hoc tenet supplementum, ut refert Silvester in verbo *Usura* 1. *n.* 35. Item non obstat quòd cùm in mutuo
10 dominium transferatur in debitorem, ideòque ad ipsum spectet periculum rei mutuatæ, ut l. *Incendium, cod. si cert. pet.* creditor qui periculum in se suscipit videatur licitè posse aliquid accipere quasi in compensationem suscepti periculi, quoniam responderur hunc nihilominùs usurarium censeri, cùm recipiat aliquid ultra sortem, quod est contra naturam mutui, ut *c. consuluit & c. conquestus supra eodem*; & sive pecuniæ sors sit perempta sive non, si emolumentum ultra sortem accipiat, usura est, quia nihil ex mutuo sperare licet, l. 14. *q.* 3. *per tot.* ita solvit glossa 1. hic quæ optimè loquitur secundum Anton. de Butr. *n.* 10. sed aliter & fortè melius prædictam objectionem diluit Host. in summa *hoc tit.* §. *an aliquo casu*, vers. *sed numquid pro trajectitia*, ubi hunc articulum latè prosequitur & affirmat pecuniam trajectitiam esse usurariam, quamvis creditor periculum subeat; idque probari ratione naturali, quia aut recipiens juvat se usu pecuniæ aut non, si non juvat se, iniquum est ut creditor ab eo lucrum exigat quod non habuit, si juvat se, ergò dominium non remanet penes creditorem, quia consumptione amittitur & fit 11
alterius, ut l. *si alien. ff. de solut.* undè patet creditorem non debere lucrum recipere à debitore qui re propriâ utitur & cum ea lucratur, nam periculum quod in se suscipit creditor in nihilo ipsum relevat, sed potiùs oneratum relinquit. Imputet ergò sibi si periculum in se suscepit, ut hic latiùs per Host.

Contrariam opinionem, videlicet nauticum fœnus nullo
12 jure improbari, amplectuntur communiter Theologi, quia quod in hac specie ultra sortem accipitur, non datur ratione mutui, nec propter nudum interesse interfurii temporis, sed propter justissimam causam, id est propter periculum quod in se suscipit creditor contra naturam mutui, ita Sanctus Thomas *in tractatu de usur. opusc.* 73. *q.* 9. Sanctus Anton. *in* 2. *par. lib.* 1. *c.* 6. §. 21. Conrad. *de contract. q.* 39. *concl.* 1. Silvest. alios adducens in verbo *usura* 1. *n.* 35. Joan. Major. *in* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 31. & Cajet. in summa in verbo *usura exterior*, vers. *duodecimus casus* quos refert & sequitur Covar. *var. resol. lib.* 3. *c.* 2. *n.* 5. & ex Jurisperitis Jacob. Butrigar. suprà citatus in l. 1. *cod. de naut. fœn.* & Bald. in l. 1. *n.* 33. vers. *vel est susceptio periculi*, *cod. de Summa Trinitate*, dicens in nautico fœnore non esse propriè usuram, quia hic non est lucrum, sed quædam recompensatio debita hinc

undè; & ita quotidiè fit Venetiis, Florentiæ & alibi, ut hic attestatur Cardinalis, *numero primo in sexta oppositione.*

13 Magnoperè tamen laborant præcitati Autores, ut vitent dispositionem insignis hujus Decretalis quam propterea in varios sensus deducunt.

Primus intellectus est Adriani *in* 4. *sent. in tract. de usur. o. occurrunt* qui putavit hoc capitulum habere locum in eo tantùm casu in quo pretium periculi quod in se suscipit creditor est injustum & immoderatum, tunc enim ultra sortem accipitur id quod justum pretium excedit & hoc causa mutui; & ideò usura est, secùs verò si pretium periculi sit justum, ut etiam dicam infrà *n.* 55. Verùm hic intellectus non con-
14 sonat litteræ hic *recepturus aliquid ultra sortem*, nam dictio *aliquid* verificatur in qualibet minima re juxta glossam in clem. 1. in verbo *aut earum aliquâ parte de foro compet.* & hic notat Abbas *n.* 2. vers. *& nota benè quod textus dicit*, *aliquid* & Joannes Crotus *in* 2. *not. n.* 7. undè secundum eos
15 usura committitur, si aliquid quantumcumque modicum ultra sortem exigatur. Idem probatur *in c. plerique* 14. *q.* 3. & suffragatur illud *mutuum dantes nihil indè sperantes*, *c. consuluit supra eodem*, nam dictum *nihil* cùm sit universalis negativa, excludit quamcumque quantitatem, l. *si is qui ducenta*,
16 §. *Utrum, ff. de reb. dub.* Ergò sive pretium periculi sit modicum sive magnum, in contractu mutui usura est per hunc textum.

Secundus intellectus est ejusdem Adriani *in d. c. occurrunt* ad primum Caroli Molinei *de contract. q.* 3. & Soti infrà citandi *n.* 46 existimantium hunc textum obtinere in eo casu in quo probabiliter nullum subest periculum, sed solùm prætextitur à creditore, ut hoc colore quæsito sit certus de lucro ultra sortem convento. Sed eos meritò refellit Covar. *d. c.* 2. *n.* 5. vers. *primum equidem*, quia textus loquitur de illo qui mutuat pecuniam naviganti. At nihil tam capax fortuitorum quàm mare, ut inquit Tacit. *annal. lib.* 14. ideòque secundum Calder. hic *n.* 2. verbum *navigare* in latiori significatione ponitur pro quolibet actu laboriosò, cùm sæpè navigando labor & periculum immineat, *c. non turbetur* 24. *q.* 1. *c. adversitas* 9. *quæst.* 2. undè navigare dicitur qui uxorem
17 duxit, *capite Nos novimus* 17. *quæstione secundâ*, ubi glossa prima. (Sicut navigans, inquit, subjicit se variis periculis, nec proprio motu regitur, sed ventis sic habens uxorem.

18 Tertius denique intellectus est illorum qui sic distinguunt. Aut mutuans recipit aliquid ultra sortem ratione mutui tantùm, aliàs non mutuaturus & est usura non obstante quòd periculum sortis in se suscipiat; & in hoc casu loquitur hoc capitulum. Aut recipit partim ratione mutui & partim ratione periculi; & similiter usura est quantùm ad illud quod recipit ratione mutui. Aut demùm recipit ratione periculi tantùm, atque ut pretium periculi & sic non est usura, nam etsi non mutaret & periculum navigantis vellet subire, licèt posset recipere pretium periculi suscepti, nec propter hoc quod ei inservit mutuando, efficitur deterioris conditionis; & hic quidem intellectus à Theologis communiter approbatur, ut inferiùs patebit, sed tamen illud impugnat supplementum duplici motivo. Primò, quia hoc caput vult esse usuram, etiamsi quid ultra sortem recipiatur ratione periculi, ut sonat littera hîc. Pro *eo quod.* Verba enim textûs sic se habent. *Naviganti vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem*, *Usurarius est censendus* Deindè quia si haberetur respectus ad mutuum, nullum fuisset dubium; & sic Lex lata esset super indubitabili quod esse non debet, quia esset superflua; ad hoc *l. Quod Labeo* & hic glossf. 1. *ff. de Carbon. edic.* sed eum mordet Silvest. quod non benè intellexerit textum; quia verba illa, *pro eo quod* non denotant causam receptionis lucri ultra sortem, sed causam mutandi, & secundum hoc poni debet comma post verbum, *suscipit*, non autem post verbum *quantitatem.*
19 Censetur autem creditor moveri ratione mutui, quandò vult & pacisciur, ut sortis periculum omninò ad se pertineat, aliàs non mutuaturus; & sic ex mutuo vult consequi lucrum non quidem immediatè, sed mediante susceptione periculi, quod usurarium est; & ita hunc textum illum S. Antonin. *in* 2. *part. lib.* 1. *tit.* 1. *c.* 6. §. 21. Silvest. alios adducens *in ver. Usura* 1. *n.* 35. Conrad. *de contract. conclus.* 1. Joan. Major. *in* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 31. & Cajet. *in summa*, *in ver. Usura exterior*, *vers. Duodecimus casus*, & hunc sensum verè proprium esse, ut frequentiori Theologorum judicio probatum, attestatur Covarr. *variar. resol. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 5. *vers. Secundo.* Quandò autem mutuans
20 suscipit in se periculum pecuniæ mutuatæ & simpliciter recipit aliquid ultra sortem non exprimens an id recipiat ratione periculi, an ratione mutui; Canon vehementer præsumit eum recipere propter mutuum & susceptionem periculi adhibitam esse ad palliandam usuram, ad quam quidem pallationem de medio tollendam sub colore periculi suscepti emanavit hæc Decretalis; secùs verò si mutuans exprimat se emolumentum accipere propter periculum quod in se suscipit; quia tunc contractus non est usurarius, ut per Valasc. *cons.* 18. *n.* 4. & alios complures hic congestos à modernis Collectoribus.

Quid dicendum? Ego ad conciliandas opiniones puto 21
sic distinguendum: Aut quæritur an ejusmodi contractus censeatur usurarius in foro externo & quantùm ad judicium Ecclesiæ: Aut quæritur an sit usurarius in foro animæ, & quoad Deum. In primo casu existimo contractum judicari usurarium & ita procedere opinionem Canonistarum, quia cùm creditor recipit in se periculum rei mutuatæ & aliquid accipit ultra sortem, Ecclesia judicat principale objectum illius esse lucrum ex mutuo, ita ut non sit audiendus, si dicat se non recipere ratione mutui, sed solùm ratione periculi, quia cùm hoc constitat in intentione, non pertinet ad judicium Ecclesiæ, quæ non judicat de occultis, *c. Sicut tuis, in fin.* & hic gloss. *ult. & c. Tua de simon. & c.* 1. *Ut Eccles. benefic.* Talis enim intentio, ut inquit Joannes Andreas, *in cap. Nobis, n.* 5. *de simon.* non video quomodò probari possit nisi per ipsum, cui tanquam soli criminoso, & in facto suo deponenti non est credendum; alioquin cuique facilè esset dicere: Ego fuissem aliàs mutuaturus; occulta enim & incognita illi soli sunt relinquenda qui solus novit corda fidelium hominum *c. Consuluisti*, 1. *qu.* 5. Et est simile in simonia, nam si pecunia promissa vel data 22
interveniat, non audiuntur Electores si dicant se non fuisse motos ad eligendum propter pecuniam, quia aliàs electuri erant, sed, qualiscumque fuerit eorum intentio, electio judicatur simoniaca, ut firmat gloss. 2. in *d. c. Nobis*, *suprà de simon.* quam hic sequuntur Host. Joan. Andr. Abb. & alii communiter, & videtur sententia D. Thom. *in* 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 5. Eodem igitur modo non est audiendus creditor qui dicit se non moveri ad emolumentum ultra sortem accipiendum ex causa mutui, quia aliàs erat mutuaturus; sed nihilominùs usurarius ab Ecclesia judicatur qualiscumque sit ejus intentio & propterea text. non dixit, usurarius est, sed usurarius est censendus, quasi senserit non esse usuram intrinsecè & ex natura rei, sed usuram reputari ab Ecclesia, nam censeri idem importat quod judicare, *l. Censere, ff. de verb sig.* gl. in Clem. 1. *in verb. Censemus*, *de prob.* Quod sanè judicium in eo videtur fundatum, quia ut plurimum creditores suscipiunt in se periculum ad palliandam pravam intentionem, quam gerunt lucrandi ex pecunia mutuata & ex his, quæ plerumque accidunt jura constituuntur, *l. Nam ad ea, ff. de leg.* & sic non quia culpa sit, sed quia solet esse, ut inquit gloss. *in c. Præsentiam*, *in ver. Ipsam.* 1. *q.* 1. & est simile *in c. Mulier* 15. *q.* 1.

Limitari tamen posset hoc primum membrum nisi aliquis 23
primò mutuaret & posteà conveniret, ut ad se periculum pertineret certa mercede sibi constitura, tunc enim non ex mutuo lucrum acciperet, sed ut aiunt pro assecuratione sortis, ita Navarr. *in Manual. c.* 17. *n.* 221. alios citans, & videtur ex mente Card. *hic n.* 1. *in 6. opposit.* sed ego hoc admitterem, dummodò hujusmodi actus non essent correspectivi, quod ex brevitate temporis inter mutuum, & susceptionem periculi, atque ex aliis circumstantiis dijudicari facilè potest, secundum ea quæ scribit Anchar. in *cons.* 434 incip. *Ex narratis*, *num.* 3. *vers. Præterea*, & Menoch. latissimè *de præsumpt. lib.* 6. *Præsumpt.* 12 *per totam præsertim n.* 28. Alioquin levi negotio posset unusquisque priùs mutuare & paulò post periculum in se suscipere, ut eluderet dispositionem hujus textûs, imò intervallum unius diei suspicionem augeret, ut per Modernum Parisien. *in tract. de usur. n.* 407. & Menoch. *d. præsump.* 12. *n.* 29.

In secundo autem casu, id est in foro animæ vera vide- 24
tur Theologorum distinctio, nam si mutuans recipiat aliquid ultra sortem ratione mutui, seu ea intentione ut lucretur ex mutuo, quamvis periculum in se suscipiat, absque dubio est usura, quæ sola voluntate committitur, *c. Cùm consuluit suprà eodem*, gloss. *in cap. Ex parte*, *il primo*, *in ver. Dimittere*, *de offic. Deleg.* Sed si verè non intendat lucrari ex mutuo, sed tantummodò accipere per mercedem seu pretium periculi, juxta text. *in l. Periculi, ff. de naut. fœn.* in foro interiori & quantùm ad Deum non est usurarius. Itaque tota hæc res ab intentione distinguitur & specificatur, *c. Cum voluntate*, *infra de sent. excomm. l. Qui injuria; ff. desunt.* Facit text. *in c. In Civitate*, *in fin. supra eodem.* In dubio autem cùm non distinguit an lucrum recipiat ratione mutui vel ratione periculi, censetur recipere ratione mutui; & ideò usura est secundum ea quæ dicta sunt suprà, *n.* 20. & sic arbitror posse conciliari dissidentes opiniones, quod nota.

Retenta Canonistarum opinione, eam declara primò se- 25
cundum Innocent. *in princ.* Host. *n.* 5. Butr. *n.* 7. Card. *n.* 4. ut non procedat si navigans recipiat pecuniam ultra mare trajiciendam certo pretio sibi constituto, nam sive pe-

DE USURIS

Urbanus III.

CAPUT X.

CONsuluit nos tua devotio, an ille in judicio animarum quasi usurarius debeat judicari, qui non aliàs mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, ut licèt omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiet, & utrum eodem reatu criminis involvatur, qui (ut vulgò dicitur) non aliter parobolam juramenti concedit, donec quamvis sine exactione, emolumentum aliquod indè percipiat: Et an negotiator pœna consimili debeat condemnari, qui merces suas longè majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quàm si ei incontinenti pretium persolvatur. Verùm quia quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio Lucæ manifestè cognoscitur, in quo dicitur: Date mutuum nihil indè sperantes, hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent (cùm omnis usura, & superabundantia prohibeatur in lege) judicandi sunt malè agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda, in animarum judicio efficaciter inducendi.

SUMMARIUM.

1 *MUtuans ea mente ut plus sorte perciplat, tenetur in judicio animarum, & n. 3.*
2 *Vendens rem pluris, quàm valeat ob dilatam pretii solutionem, censetur quasi usurarius in foro animæ & ad restitutionem tenetur, & n. 8.*
Fallit si duo copulativè concurrant, n. 9.
Et quid in foro judiciali, n. 10.
3 *Usurarius mentalis tenetur in foro conscientiæ ad restitutionem ejus, quod ultra sortem accepit.*
3 *Quod verum est si habuit intentionem ad lucrum principaliter. Secùs si secundariò.*
5 *Usura non est secundariò aliquid sperare ex mutuo.*
6 *Nisi spes ista deducatur in pactum, n. 7.*
7 *Debitor est mutuanti naturaliter obligatus ad antidora.*

CONsuluit. Mutuans ea mente, ut plus sorte perciplat, non dans parabolam juramenti nisi aliquid indè recipiat; vendens rem plus debito, quia solutionem pretii differt, tenetur ex his in judicio animarum. Hoc dicit: 2 Joan. Andr. Butr. & Anchar. & in substantia concordant Card. Abb. & Joan. de Anan. & sunt duæ partes, in prima ponitur consultatio tria dubia continens, ad quæ simul in secunda respondet, hìc, *Verum quia.* Et quid sit dare parabolam juramenti declarat hìc Bernard. in figuratione casus in *secunda quæstione*, cum quo transeunt communiter Doctores.

3 Nota primò ex solutione primi dubii, usurarium mentalem teneri in foro conscientiæ ad restitutionem ejus quod ultra sortem accepit, & quamvis nonnulli opinentur talem censeri quidem usurarium, sed nihilominùs ad restitutionem non teneri, quasi non noceat usura mentalis, sicut non noceet mentalis simonia quantùm ad restitutionem sic receptorum, ut *cap. final. suprà de simonia*; tamen quod primò dixi est tutius secundum Innocentium hìc ad finem; imò verissimum & aliud falsissimum & formaliter inquit Host. *n. 3. in verb. Pro intentione*, Joan. Andr. *n. 4.* post Raym. quem citat in Summa hujus tituli, *vers. Sed numquid voluntas*, Butr. *n. 4. vers. Quæro ulteriùs*, & Abb. *n. 5.* dicens hìc esse casum apertum pro opinione Innocent. & Host. quam sequuntur communiter Doctores quod adeptus lucrum ex mutuo intentionem tamen depravat, tenetur restituere in foro animæ, nec sufficit agere solam pœnitentiam, licet aliud sit in simonia mentali, ut in dicto capite, *final. de simon.* ubi etiam notatur ratio diversitatis.

4 Cæterùm hoc verum est si principaliter habuit intentionem lucrandi aliquid ex mutuo; tunc enim omni etiam pactione cessante usuram committit & in judicio animæ restitutioni est obnoxius, ut hìc est expressum. Secùs verò 5 si habuerit hujusmodi intentionem secundariò, ut hìc firmat gloss. *c.* Innocent. *in princ.* dicens: (Si creditor principaliter intentionem habet ad lucrum, usura est vel malum lucrum; aliàs si secundariò aliquid sperat) secùs Hostien. *n. 2.* qui similiter ait: (Secundariò aliquid sperare omninò 6 est reprobandum, nam si tibi servio, sperare possum quod & tu mihi servias vel me remuneres,) argum. *cap. Qui proderit, 61. dist. c. Si officia 59. dist.* nec etiam recipere ex tali spe usurarium vel quasi censebitur, argument. *cap. Quam pio, 1. quæst. 2.* quin imò secundum glos. Innoc. & 6 Host. debitor est mutuanti naturaliter obligatus ad antidora *l. Sed si lege, §. Consuluit, ff. de petit. hæred. cap. Cùm in officiis, suprà de testam.* & in his concordat *hìc* Joan. Andr. *n. 4. vers. Et quod dicitur usuram*, Card. *in 2. opposit.* adjiciens tamen cum gloss. si spes ista secundaria de- 7 duceretur in pactum, usura committeretur; Butr. *num. 4. ad fin. vers. Et quod dicitur usurarium*, & Anchar. *num. 5. vers. Posset esse verum quandò secundariò*, & idem Host. *in summa hujus tit. post. princ.* & plenius Joan. Andr. *in reg. Peccatum, in primo articulo quæstionis, de reg. jur. lib. 6.* Verumtamen ut seriò subdit Host. *hìc n. 3.* Quamvis talis possit hominem fallere & Judicem humanum; non tamen illum cui omnia nuda sunt & aperta, quia Deus est cognitor secretorum, *c. Erubescant, 32. dist. c. Consuluisti, 2. q. 4. c. Novit. suprà de jud. c. Tua nos, in fin. de simon.* quem non latet peccati qualitas nec peccantis affectus, *cap. Deus, 24. qu. 1. gloss. ult. in c. In Civitate, suprà eodem.*

Secundò nota hìc, *Prolixioris temporis dilatio*, eum qui 8 vendit rem pluris quàm valeat ob dilatam pretii solutionem censeri quasi usurarium in foro animæ & ad restitutionem teneri; & est communis opinio, ut constat ex dictis in præcedenti notab. Fallit tamen si duo copulativè concurrant. 9 Primum est, plus ut dubium sit, an res tempore solutionis minùsve valitura esset. Secundum, ut tempore contractus eam rem non esset venditurus, ut est textus in *c. Naviganti in ult. casu infra eod. & in c. In Civitate, suprà eodem;* secundum Lecturam Card. quam dicunt hìc esse communem Abb. & Joan. de Anan. *in princ.* & magis communem Joan. Lup. *in repet. d. cap. Naviganti, §. 5. n. 22.* & hìc notat Henr. Boich. *in princ.* An autem vendens cariori pretio ob 10 dilatam solutionem possit in foro contentioso tanquam usurarius damnari & quibus ex causis excusatur in foro animæ ab usuraria pravitate, dic ut plenè scripsi in prædicta Decretali *in Civitate, suprà eod. à n. 2. usque in finem.*

DE USURIS

Gregorius IX. Fratris R.

CAPUT XIX.

NAviganti vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. Ille quoque, qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini vel olei mensuræ reddatur: quæ licèt tunc plus valeant, utrùm plus vel minùs solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari. Ratione hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut ampliùs, quàm tunc valeant in certo termino, recipiat pro eisdem, si tamen eo tempore contractûs non fuerat venditurus.

SUMMARIUM.

1 *MUtuans pecuniam naviganti, si recipiat aliquid ultra sortem, usurarius censetur, etiamsi periculum in se suscipiat & num. 4.*
Quid de jure civili num. 5.
Et quid de jure canonico num. 8.
Quid in foro judiciali num. 21.
Et quid in foro animæ num. 24. & 57.
2 *Usurarius non est emens rem minus justo pretio si tunc verisimiliter dubitetur, an tempore traditionis plus vel minùs sit valitura & num. 30.*
3 *Vendens rem plus, quàm valeat ex eo quòd differt solutionem pretio, excusatur ab usura ratione dubii, si tunc non erat aliàs venditurus & num. 34.*
5 *Nauticum fœnus de jure civili, etiam usque ad usuram centesimam permitteretur.*
6 *Usura centesima quæ sit.*
7 *Pecunia trajectitia quæ dicatur.*
8 *Usura nautica de jure Canonico reprobatur secundum Canonistas.*
Contrarium secundum Theologos num. 12.
Distinguitur num. 21.
9 *Jus Canonicum in materia peccatum concernente in totum derogat juri civili.*
10 *Periculum rei mutuatæ quod in se suscipit creditor, cur eum non excuset ab usura si aliquid ultra sortem recipiat, & num. seq.*
11 *Dominium rei mutuatæ consumptione amittitur, & fit alterius.*
13 *Intellectus varii Theologorum ad hoc cap. & num. 55. usque ad num. 59.*
14 Aliquid, *dictio, verificatur in qualibet minima re.*
15 *Usura committitur si aliquid quantùmcumque modicum ultra sortem accipiatur.*
16 Nihil, *dictio quamcumque quantitatem excludit.*
17 *Navigare dicitur qui uxorem duxit & cur.*
18 *Usura est aliquid ultra sortem accipere ratione mutui tantùm, vel ratione mutui, & periculi simul, sed non ratione periculi tantùm secundum Theologos.*
19 *Et ratione mutui tantùm intelligitur quando creditor vult omninò in se suscipere sortis periculum aliàs non mutuaturus.*
20 *Idem si non exprimat an lucrum recipiat propter mutuum vel propter periculum.*
22 *Simoniaca est electio, licèt electores dicant se non fuisse motos propter pecuniam sibi datam vel promissam, quia aliàs electuri fuerant.*
23 *Usurarius an judicetur qui priùs liberè mutuat & postea sub certa mercede periculum in se suscepit.*
Correspectivitas præsumitur ex proximitate temporis ibidem.
24 *Usura sola voluntate committitur.*
25 *Usura non est, sed locatio operarum si navigans recipiat Fagnan. in V. Lib. Decretal.*
pecuniam ultra mare vehendam sub certa mercede.
26 *Pecuniæ nullus est usus.*
27 *Locator cur justè salarium recipit, non autem mutuans.*
28 *Socius ponens pecuniam licitè potest habere partem lucri, dummodò pecuniam periculo exponat.*
29 *Societas est quædam fraternitas.*
30 *Usurarius est, qui nunc emit rem minus quàm valeat ob eam causam, quia rei traditio differtur, & nunc solvet pretium.*
31 *Nisi dubium sit an tempore traditionis plus, minùsve sit valitura.*
32 *Et in æstimatione valoris considerari debet quod communiter solet contingere.*
33 *Dubia in foro judiciali sunt interpretanda in meliorem partem, sed in foro animæ in duriorem.*
34 *Vendens rem cariùs, quàm valeat ob dilatam pretii solutionem, ut excusetur ab usura, quæ debeant concurrere.*
35 *Usurarius mentalis est, qui cariùs vendit credita, quàm numerata pecunia & num. 45.*
36 *Societas inita ab officiali Romanæ Curiæ super officio ultra valorem gravato, contemplatione tamen alterius personæ recognoscentis bonam fidem, & servantis eum indemnem, an sui natura sit illicita & usuraria & n. seqq. usque in fin.*
37 *Societas contrahi non potest super re non existenti.*
Societas officii sine officio super solo periculo vitæ constitui non potest ibidem.
Declaratur num. 73.
38 *Societas requirit subjectum communicativum lucri, & damni.*
Usurarium putatur ex re infructifera lucrum sperare, ibidem.
Declaratur num. 74.
39 *Usura non cadit nisi ubi mutuum verum vel fictum intercedit.*
40 *Usura est lucrum ex mutuo vel quasi mutuo.*
41 *Contractus præsumitur qualis in sui figura apparet.*
42 *Usura ex mutuo vero quando dicatur.*
43 *Mutuatarius ex ratione mutui veri, vel palliati subit omne periculum rei mutuatæ, & semper obligatur ad sortis restitutionem.*
Census vitalitius, in quo perpetuò pecunia fit recipientis, sortitur naturam emptionis ibid.
44 *In societate officiorum pecunia non fit recipientis, sed remanet solventis sub solo periculo in casu mortis*
45 *In mutuo palliato necesse est ut lucrum, quod speratur, proveniat ex interesurio temporis.*
46 *Usurarius censetur contractus qui ex sui forma usurarius non est, ab depravatam contrahentium intentionem.*
47 *Usura palliata esse non potest ubi cessat depravata intentio contrahentium.*

riculum in se suscipiat, sive non, usura non est, quia hic non est mutuum, sed locatio operarum vel invectionis vel custodiæ, quia licita est, *l. & ita de facti, & toto tit. ff.*
26 *Naut. caup. stapuld. In nave, l. Qui operas, l. Qui mercedem, & l. seq. ff. Locati*; Secùs verò si non detur pro mercede, ut vehat, sed ut negotietur, quia hoc est mutuum. Undè quidquid accipitur ultra sortem usura est cùm pecuniæ nullus sit usus vel utilitas utendi, ut in illa palea
27 incip. *Ejiciens*, 28. *disti.* Ratio differentiæ est, quia locator retinet dominium rei locatæ, *l. Non enim, ff. Locati*, propter quod ad eum rei suæ pertinet periculum. At creditor non retinet dominium pecuniæ mutuatæ, sed illud transfert in debitorem, cujus propterea est periculum, *l. 2. ff. Si cert. petat.* Præterea res locata usu fit deterior quod in mutuo non contingit. Non igitur mirum si locator salarium percipit, non autem mutuans. Ita Joan. Andr. *hic n.* 11. Butr. *n.* 10. *vers. Ratio est*, ut Joan. de Anan. *n.* 3. *vers. Et ex prædictis*, & consentit S. Thom. *in* 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 5.

28 Declara secundò Canonistarum opinionem, ut procedat in mutuo, prout loquitur hoc cap. non autem in contrahentibus societatem, quorum unus ponit operam alter pretium quia ut inquit Bald. *in l.* 1. *n.* 36. *Cod. de Summa Trinit.* non est usura, sed divisio lucri industrialis; & sic licet, ut ait Goffred. communiter commoda & incommoda. Undè ponens pecuniam potest habere partem lucri, dummodò pecuniam periculo exponat, ita ut sit particeps damni & lucri
29 *c. Plerique*, 14. *q.* 3. Societas enim est quædam fraternitas ut *l. Verum primo responso, ff. Pro socio*; & ita hic firmant Joan. Andr. *n.* 3. *in ver. Mutuans*, & Butr. *n.* 6. de quo latiùs per Calder. *in secunda quæstione*, *num.* 28. & est ex mente D. Thomæ, *loco citato.*

30 Secundò nota ex secunda parte textûs usurarium censeri eum qui nunc emit rem minùs quàm valeat ob eam causam quia differtur traditio rei emptæ & nunc solvit pretium; Fingamus enim emptorem nunc mutuare venditori pretium rei accipere illud plus quàm valebit tempore traditionis, nisi dubium sit an res tunc temporis plus minùsve sit valitura; tunc enim tam emptor quam venditor æqualiter com-
31 modum & incommodum ex dilatione expectant, ut hic per gl. 2. & Abb. *n.* 6. Atque ita propter rationem dubii valet, quod aliàs non valeret: de quo plenius dicetur infrà *in* 3. *notab.*

32 Porrò in æstimatione valoris considerari oportet id quod verisimile est, ut innuit littera hic *verisimiliter*, ita ut si communiter traditionis tempore res pluris valitura esset, veluti si solvatur pretium tempore messium, ut mensura detur tibi in Paschate, erit interusurium secundum communem cursum & morem omnium Regionum qui spectandus est, ut l. 1. *in princ. ff. de flum.* Idemque dicendum si ematur ante messem frumentum tradendum in æstate tam modico pretio, ut probabiliter plus sit valiturum & valere communiter consueverit. Nec refert quòd nonnunquam contingat oppositum, quandòquidem ad ea quæ raro accidant, jura non adaptantur, lege *nam ad ea, ff. de leg.* sed quod sit frequenter, id est pensumque & respiciunt & medentur, ut in Auth. *ut sine prohibi.* §. *Quia verò col.* 1. ut ergò evitetur fraudis suspicio, emat de tempore ad idem tempus in qualitate, puta de æstate ad æstatem & de vere ad ver vel ad tempus in quo non lædat conscientiam, vel in animarum judicio ad restitutionem judicetur, ut *c. consuluit supra eodem.* Ita Hostiensis hic *num.* 6. Joannes Andreas *eodem numero* in verbo *Verisimiliter*, Butr. *n.* 2. & 11. Anch. *in* 4 & 5 *not.* Abb. *n.* 10. & alii communiter.

33 Tertiò nota hic *verisimiliter dubitetur*, dubia in meliorem partem esse interpretanda, ad idem *c.* 2. *infra de reg. jur.* promptiores enim esse debemus ad absolvendum quàm ad condemnandum, *c. ex litteris, suprà de probat.* & l. *animus, ff. de act. & oblig.* & hic notat glossa 2. Verùm Host. *n.* 9. cui Card. *n.* 2. & cæteri consentiunt, declarat hoc verum esse in judicio contentioso, ut hic & in juribus suprà citatis, in quo non debet judex se certum reddere ubi certus non est, nec dubitare ubi certus est, *c. cùm contingat*, §. *penult. suprà de rescript.* in quo etiam quandòque relinquitur aliquis conscientiæ suæ, ut *c. mulieri suprà de jurejur.* secùs in foro animæ in quo ad vitandum salutis periculum in duriorem partem interpretamur; & sic non obstat *c. ad audientiam*, §. 1. & *c. Significasti*, §. *fin. de homic. c. In Civitate*, §. *fin. supra eodem*, *c. Illud infrà de Cler. excomm. ministr.* eamdem distinctionem adhibuit glos. notab. *in c. un.* in verbo *æstimare suprà de servit.* & Sanctus Thomas *in* 2. 2. *q.* 60. *art.* 4. & scripsi plenius *in c. ne innitaris à n.* 137. *usque ad* 147. *sup. de Constit.*

34 Ultimò nota ex tertia parte textûs, ad hoc ut contractus sit licitus, quandò venditur res plus quàm valeat & differtur solutio pretii in certum terminum, necessarium esse ut duo copulativè concurrant. Primum est ut probabile dubium sit, an tempore solutionis pretii, res empta plus vel minùs sit valitura. Alterum est ut venditor non esset aliàs venditurus tempore contractûs. Si ergò certum sit tempore solutionis pretii, rem minùs valituram fuisse quàm tunc ille numeratâ pecuniâ vendidisset, eo casu contractus usurarius est censendus, ut hic probatur apertè & hoc per rationem quam tetigi suprà *in* 2. *not. n.* 30. & notat glossa 2. Butr. *n.* 21. & Abb. *n.* 7. & talem qui propter dilationem cariùs vendit quàm statim soluto pretio fuisset venditurus, dicunt illum esse usurarium mentalem, Hostiensis *numero decimo secundo in fin.* Joan. Andr. *n.* 6. in verb. *temp. contract.* & Anchar. *in* 6. *not.*

Quæro, an contractus societatis initæ ab aliquo Officiali Romanæ Curiæ super officio ultra valorem gravato, contemplatione tamen alterius personæ recognoscentis bonam fidem & servantis eum indemnem sui naturâ illicitus sit atque usurarius.

Pro opinione illorum qui putant hunc contractum defendi non posse ab usuraria pravitate, adducitur illud præcipuum argumentum quòd societas contrahi nequit super re non existente, l. *Verum*, §. *fin. ff. pro soc.* sed ipse Officialis jam obligatos habet omnes officii fructus. Ergò sibi ampliùs non licebit super illis societatem inire. Sublato enim fundamento &c. *c. cùm Paulus* 1. *q.* 1. *c. Veniens infrà de Preb. non bapt.* Ita Lelius Zecchius *in tract. de usur. c.* 7. *de societate n.* 11. vers. *Notandum*, *col. fin.* Joan. Bapt. Conradus *in suis responsis casuum conscientialium n.* 255. *col.* 5. vers. *si non concedam* & Rota *dec.* 287. *n.* 1. *part.* 4. *divers.* ubi in termino resolvit societatem officiorum super officio ultra valorem gravato non sustineri ob eam rationem, quia ubi deficit subjectum super quo subsistat contractus, in vim societatis valere non potest & necesse est ut resolvatur in mutuum *& dec.* 551. *n.* 3 5 6. *par.* 1. *recent.* ubi decidit societatem officii sine officio super solo periculo vitæ constitui non posse, quia deficit subjectum communicativum aptum reddere lucrum & damnum, ut est necessarium in societate ex dicta lege *Verum*, §. *fin. ff. pro soc.* & ex aliis autoritatibus hic allegatis.

Quibus tamen non obstantibus videtur respondendum, contractum, circumscriptâ Ecclesiæ prohibitione, ex se licitum esse & sui natura, ab usurario crimine longè abesse.

Primò, quia usura non cadit nisi ubi mutuum verum vel fictum intercedit, *c.* 1. 4 *q.* 3. Abb. *cons.* 114. *attingendo*, *n.* 1. *par.* 2. *& cons.* 15. *Quæritur*, *n.* 2. *par.* 2. notant Canonistæ in rubrica *& in c. conquestus supra eodem* & Legistæ in l. 1. §. *creditum*, ubi Dec. *in* 2. *not. ff. si cert. pet.* & colligitur ex ipsa usuræ definitione. Dicitur enim esse lucrum ex mutuo vel quasi mutuo, Sot. *lib.* 3. *de just. & jur. q.* 1. *art.* 1. Covar. *lib.* 3. *var. resol. c.* 3. Conrad. *de contract. tract.* 2. *q.* 21. sed hic nulla veri aut ficti mutui subest ratio. Ergò &c. mutuum verò in hoc contractu non intervenire ostendunt verba ipsa quæ in contractum societatis, non in contractum mutui sonant, l. *Si quis stipulatus hic respiciendus erit sermo stipulationis, ff. de verb. oblig. l. fin.* & hic glossa in verbo *proclivior*, *ff. de condit. caus. dat.* contractus enim præsumitur qualis ex figura apparet, Bart. *in c.* 1. *in princ. de feud. dat. contra vic. leg. commiss.* & in specie contractum societatis fuisse initum si verba sonent in societatem, plenè consuluit Curt. Sen. *cons.* 52. incip. *super art. n.* 2. Itaque mutuum verum dicitur ubi partes expressè de mutuo agunt; & tunc usuram veram committunt, cùm aliquid ultra sortem ex pacto & conventione recipiunt, juxta legem *Rogasti*, §. *si tibi, ff. si cert. pet.* de hoc mutuo loquitur Pontifex *in c. Inter dilectos de excess. Prælat. in princ.* dicens usurarium esse illum qui in ludo alteri mutuavit undecim pro duodecim, quo exemplo utitur Bero *cons.* 207. *n.* 51. *vol.* 5. ad ostendendam differentiam quæ inter mutuum usurarium verum & mutuum usurarium palliatum intercedit. Quod verò neque mutuum fictum aut palliatum in hoc contractu considerari possit patet, quia de ratione mutui tam veri quàm palliati est, ut mutuatarius omne damnum rei mutuatæ & omne periculum subeat & in omni casu ad illam mutuanti restituendam teneatur, l. *Incendium, ff. si cert. pet.* §. *Item secùs, instit. quib. mod. toll. oblig.* Angel. *in summa*, verbo *mutuum*, latissimè Conrad. *de contract. tract.* 2. *q.* 33. *in fin.* 2. *suppos. & q.* 34. *concl.* 1. ubi pluribus comprobat ad substantiam mutui pertinere, ut mutuatarius semper obligatus remaneat ad sortis restitutionem *& dec.* 552. *n.* 7. *par.* 1. *rec.* ubi propterea decidit censum vitalitium in quo datur pecunia ut perpetuò sit apud recipientem sortiri naturam emptionis. In hoc autem contractu societatis officii, pecunia non fit recipientis, sed remanet solventis sub solo periculo amissionis in casu mortis, ut dixit Rota *dictâ decisione* 552. *numero octavo*; & recipiens spem probabilem habet illam lucrandi & facilè potest fortunæ beneficio ab onere restitutionis se liberare. Ergò certum est ne palliatum quidem mutuum hic intervenire, quandoquidem hujus contractûs forma quæ in hujusmodi conventione consistit à forma contractûs mutui maximè differt.

Præterea

45 Præterea ut mutuo palliato & interpretativo sit locus, necesse est, ut quod sperant contrahentes, sperent & expectent ex cursu, & interusurio temporis, aut certè aliundè expectare non possint. Exemplum est clarissimum in hæc Decretali *in* 2. *responsi.* ubi mercatores, qui cariùs vendunt merces credita pecunia, usuræ labe infecti censentur. Quamvis enim contractus venditionis sui natura careat omni suspicione usuræ, quia tamen id quod ultra justum pretium recipiunt mercatores, non aliundè sperant, quàm ex dilata solutione, nec aliundè provenit, quàm ex cursu & lapsu temporis: meritò inducatur ab Ecclesia mutuum palliatum
46 nomine emptionis & venditionis. Ita in terminis declarat Abb. *cons.* 5. *Omissis argumentis num.* 3. *part.* 1. Ideòque gloss. *ult. in cap. Consuluit, supra eod. circa med.* ubi idem exemplum habemus dicit ob depravatam intentionem contrahentium usurarium existimari contractum, qui ex sui forma usurarius non est. Item gloss. *hic in verb. Venditores*, ubi etiam Abb. *num.* 2. docet mercatores cariùs ven-
47 dentes ob dilatam pretii solutionem de usura damnari, quia fraudem habent in mente. Hinc etiam Hieronimus Gabriel *consil.* 156. *num.* 16. *&* 35. *vol.* 2. scripsit usuram palliatum locum habere non posse cessante depravata intentione contrahentum. Verum quòd in casu nostro à contrahentibus accipitur, vel expectatur ubi gravatum est officium non accipitur, neque expectatur ex dilata solutione ob pecuniæ usum propter cursum & lapsum temporis, sed propter illud grave periculum, quod subeunt amittendi sortem: nec habent animum depravatum & voluntatem corruptam. Ergò nulla prorsus mutui species hic esse videtur, ut sæpissimè firmavit Rota & præsertim *decis.* 291. *numer.* 4. *& decis.* 336. *numer.* 5. ubi aliæ decisiones referuntur, *part.* 4. *diversor.*

48 Hoc dictum ex eo licet confirmare, quod usura mentalis est per objectum perpendenda, ita ut tunc demum committi dicatur, quando quis ex mutuo lucrum sperat: secùs verò si non ratione mutui, sed ex alia justa, atque legitima causa, quia tunc non est usura sive secundario, sive principaliter speret lucrum: ita Sot. *lib.* 6. *de just. & jur. quæst.* 1. *artic.* 2. *col.* 3. *circa fin.*

49 Cùm itaque contrahentes societatem super officiis etiam gravatis ultra valorem fructus sibi promissos accipiant non ex vi mutui, sed ob pecuniæ periculum suaptè natura æstimabile, ut *l. Periculi, ff. de naut. fænor.* utique dici non debent usuraria labe coinquinati, etiamsi eorum mens in contrahendo ad lucrum principaliter dirigatur; præsertim cùm periculum sit tale ut hoc pretio & recompensatione dignum judicetur.

50 Quod probatur primò autoritate Soti *lib.* 6. *de just. & jur. quæst.* 6. *art.* 2. *ad fin.* ubi de hujusmodi societatibus verba faciens, (periculum, inquit, quod centum conferens subit, ut si tempore durantis societatis moriatur, illa amittat, æstimabile est pecunia, atque adeò sicut in ludo, & in aliis itidem fortuitis fieri consuevit, justè videntur pro illo periculo centum recipi sex pro quolibet semestri) Hæc ille.

51 Secundò, quia homines prudentes, ac timoratæ conscientiæ justum putent recipere sex pro centenario sexto quoque mense ratione illius periculi; & hoc pretium consuetudo longissimi temporis cum superiorum tolerantia hujusque approbavit; ex his namque sumitur pretii justitia, ut tradunt Doctores in *l. Pretia rerum, ff. ad l. Falcid. & in cap.* 1. *de empt. & vendit.* & ex multis Conrad. *de contract. quæst.* 66. *& quæst.* 89.

52 Tertiò, quia ubi contrahentes ob dubiam spem dubiumque eventum potentiam habent ad plus & minùs, ad damnum & lucrum, nulla inter eos æqualitas, nulla injustitia considerari potest, argum, *l. Si aleo*, ubi Bald. & Salic. *& l. Si pactione, C. de usur.* & patet ex dictis supra *num.* 28. Quis autem non videat in hoc contractu accipientem pecunias habere spem non minùs probabilem lucrandi sortem, quam dantem lucrandi fructus, cùm mors certissima sit, tempus verò mortis adeò incertum, ut non absque ratione casus mortis inter alios fortuitos computetur, *lege finali in principio Codice de jure dotium* Bald. *in leg.* 1. *fin. Cod. Qui non poss. ad libert. perver.*

53 undè Rota Coram Gregor. XV. *decis.* 407. *num.* 4. dixit in societate officiorum cessare omnem suspicionem usurarum propter incertitudinem vitæ, ex traditis per Roman. *cons.* 302. *n.* 3. & Dec. *in l. fin. numer.* 4. *C. de transact.*

54 Quartò & ultimò, ut alia omittamus, quia justitia societatis contractæ intra valorem officii ab hoc periculo dependet; propterea eo casu putatur licere socio accipere duodecim pro centenario singulis annis, quia hoc æstimatur justum prætium illius periculi admittendi censum. Ita fatentur omnes uno ore hac de re tractantes, præcipuè autem Castrac. *c.* 8. *num.* 2. *cap.* 42. *&* 48. *n.* 1. quibus in locis apertè testatur jus percipiendi fructus, quod habet pecuniam tradens, fundatum esse in periculo illam perdendi; atque ideò tali periculo cessante veluti causa, cessare & ipsum jus fructus percipiendi: quin imò Navar. *cons.* 29. *decis. cons.* 29. *Excellentissimo Domino, in tit. de usur.* asserit fructus in hoc contractu justè recipi, non ratione societatis, sed ratione periculi, quod subit socius in utilitatem officialis: quod videtur etiam sensisse Rota *decis.* 742. *num.* 11. *& decis.* 763. *num.* 3. *part.* 1. *divers.* & Odrad. *cons.* 207. *Universis, num.* 6. *& per tot.* Sed qui societatem super officio gravato contrahunt, eidem, ac fortasse etiam majori se exponunt periculo, ut ex se patet. Ergò eosdem etiam fructus pro illius periculi pretio accipere poterunt: nam quod fructus officii extent, vel non extent, non efficit majus, vel minus justum, vel injustum talis periculi pretium.

Nec quidquam obstat, quod qui contrariam tenet opinionem respondeant fructibus officii non extantibus contractum hunc ad mutuum reduci, in quo periculum rei mutuatæ, quod mutuans in se suscipit, illum non excusat ab usura, ut videtur esse textus insignis in hoc *cap. Naviganti*, & tradit Navar. *in Manual. cap.* 17. *n.* 221. *&* 184. Quare hoc casu periculum non erit habendum in consideratione.

Id inquam non obstat, primò, quia non desunt graves
55 viri, qui usurarium non existimant mutui dationem ea lege factam, ut mutuatarius cogatur solvere mutuanti pretium periculi rei mutuatæ, quod in se suscipere vult, dummodò tamen justum pretium sit, ac legitimum; & inter hos præcipuus est Adrianus *in* 4. *sent. tract. de usur. in cap. Occurrunt*, cujus sententia adjuvari videtur ex dict. ina Bald. *in l. Rogasti*, §. *Si tibi, col.* 2. *ff. Si cert. pet.* & Joan. Lup. *in cap. Per vestras, de donat. inter vir. & uxor.* §. *ult. num.* 39. qui committere usuram non credunt civem, qui rusticò
56 certam pecuniæ quantitatem mutuat, ut suos agros justa mercede colat. Et ad hunc textum prædict. Doctores respondent maximè verò Adrianus *loco citato*, procedere ubi periculum non est verum, ac reale, sed fictum, ac simulatum in fraudem usurarum. Hanc intellectum probat Sot. *lib.* 6 *de just. & jur. quæst.* 4. *art.* 2. Quis autem dixerit periculum perdendi capitale, quod in se suscipit tradens pecunias, simulatum esse, cum oculis quodammodò cernatur & quasi manibus tangatur? Hunc tamen intellectum confutavi supra *num.* 17.

57 Respondes præterea idem Adrian. ubi supra hujus textus dispositionem non habere locum nisi quando injustum est periculi pretium. In casu autem nostro justum supponimus, ut jam in superioribus probavimus.

Sed quia neque hujusmodi interpretatio consonat litteræ hujus cap. ut dixi supra *num.* 14. & doctrina Adriani & sequacium, de quibus supra *num.* 55. communiter reprobatur teste Covarruv. *lib.* 3. *variar. resolut. cap.* 1. *num.* 5. *vers. Tertio*, & contra illam valdè urgent rationes per eum ponderatæ. Ideò tertio loco responderi potest hujus textus decisionem fundatam esse in præsumptione, ut colligitur ex verbis textus ibi, *Usurarius est censendus*: id est præsumendus, ut interpretatur Navarr. *in Manuale, cap.* 17. *num.* 284. hunc intellectum recipit Conrad. *de contract. quæst.* 39. *col.* 4. *vers. Secundò, &c.* Ad quod vide quod dixi supra *n.* 22. quare cùm nos loquamur de foro interiori conscientiæ, in quo veritas rejectis præsumptionibus attenditur, ut per Feder de Senen. *cons.* 21. *numer. secundò, vers. Præterea lex seu forum conscientiæ*, non est cur de ejus decisione laboremus.

58 Sed quatenus hic quoque intellectus aliquam pateretur difficultatem quarto loco, & fortè meliùs, quod spectat ad rem præsentem, respondetur hunc certum intelligendum esse mutuo verò habente propriam formam contractus mutui concurrente depravata, ac perversa mutuantis voluntate ut unusquisque cognoscere facilè poterit, si verba textus diligenter legat & illorum etiam, qui communem intellectum tuentur, loquendi modum occuratè perpendat. *Naviganti*, inquit Gregorius IX. *vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, &c.* verba sunt clara, apertèque mutuum demonstrant. Non procedit ergò in alio contractu, qui mutui speciem ac formam non præseferat, sed aliud genus contractus à mutuo diversum reduci possit, licèt certum ac proprium illius nomen non habeamus. Sed contractus, de quo agitur, non est mutuum habita ratione illius formæ, ut supra probatum est, *n.* 41. neque contrahentes vitiatam habent intentionem, cum bona fide contractum licitum celebrare sibi persuadeant, ut pro certo supponimus. Ergò periculum casu nostro excusare optimè poterit ab usuraria pravitate.

59 Quæ distinctio confirmatur etiam ex his quæ tradit Navar. *consil.* 23. *Respondemus, de usur. lib.* 5. Nam in principio dicit non committere usuram illam qui dat centum mercatori in Siriam ducere volenti navem mercibus onustam, eâ lege ut perdat illa si navis pereat, si verò salva revertatur, reddantur sibi centum; & quia contrarium videtur tenere in suo manuali

c. 17. *n.* 284. ut se existimat ab illa contradictione declarat ea quæ habentur in manuali, procedere in mutuo; quæ verò tradit in d. conf. locum habere in contractu innominato per quem datur aliquid alteri ob periculum subeundum, neque valere argumentum à contractu mutui qui debet esse gratuitus ad alios contractus non gratuitos, quam autem differentiam considerare non possumus eam esse, ut contractus de quo in manuali & alterum de quo in consil. nisi dicamus eam esse ut contractus de quo in manuali habeat veram mutui formam & hic de mutuo agatur ex mente contrahentium, alter verò careat formâ mutui; & in eo mens contrahentium ad mutuum non referatur, quod clariùs apparebit si eumdem Navarrum adeamus *in cons.* 29. *Excellentissimo*
60 *Domino n.* 4. vers. *Tertiò quæro eod. tit. de usur.* ubi justam dicit consuetudinem in Gallia Belgica receptam, ut quis det alteri centum cum pactione reddendi ducenta si post duos annos uxorem accipiens, visa Roma in patriam revertatur vel tradat alicui certum quid cum pacto duplum restituendi si uxorem ducat vel ad Presbiterii gradum ascendat & justitiam consuetudinis sundat in periculo cui se exponit tradens pe-
61 cuniam, quod quidem periculum, ut ait Navar. efficit ut liceat mutuanti restituatur, si vivat sex annos, reddantur illa & centum pro milliario, quæ profectò pugnare omninò videntur cum his quæ in manuali scripta reliquit *d. c.* 17. *n.* 222. hic enim qui mutuat, inquit, cum pacto ut si mutuatarius infra certum tempus moratur, sit liber; si vivat duplum reddat, usuram committit. Ut ergò vindicemus Navarrum ab hac
62 apparenti contradictione, dicamus in manuali eum loqui de vero & proprio mutuo ac mutui formam habente, in citato verò consil. de contractu à forma mutui longè diverso, de contractu scilicet innominato donationis sub modo vel donationis pecuniæ ad aliquem usum sub periculo amittendi eam in aliquo casu dubio si perierit & accipiendi aliquid ultra sortem si salva fuerit. Nemo autem videt contractum de quo dubitamus, sublato fundamento fructuum ex officio manantium induere formam ac speciem contractûs innominati, arg. l. 2. *cum tribus seqq. ff. de præscr. verb.* quarè adhuc licitus & justus erit, nemo enim cogitur pecuniam suam alteri gratis concedere, sed potest petere ac recipere honestum pretium eorum quæ dat vel concedit per tales contractus innominatos legitimos non gratuitos, ut per Navar. *in præcit. cons.* 23. *de usur.*

Secundum ac ultimum principale fundamentum pro hac
63 opinione, aliis prætermissis esse videtur quòd etsi Officialis qui officium obligavit pro quantitate totius valoris, nullos ampliùs habeat fructus ex officio, tamen negari non potest quin habeat pensiones ut ita loquar; & fructus qui sibi debentur ab illis in quorum favorem societates contraxit, cùm illi accipientes pecuniam pro suis usibus atque necessitatibus, ab Officiali recognoscant bonam fidem eumque indemnem servare promittant obligando se ad restituendos omnes & quoscumque fructus quos idem Officialis illorum causa tradenti pecuniam persolveret, nihil autem impedit quominùs Officialis contrahere possit societatem super hujusmodi fructibus in quibus non minùs jura habere intelligitur quàm in fructibus officii non obligati, neque enim assignari potest concludens ratio diversitatis. Cùm itaque fructibus officii non extantibus contractus possit nihilominùs habere verum ac solidum fundamentum à parte rei, non debemus illum tanquam usurarium & illicitum condemnare, si nullus adsit dolus & omnis absit fraus respectu contrahentium, ut nos supponimus.

Qui contrariam sententiam tuentur, prædicta fundamenta
64 conantur evertere hac ratione, quia etsi contractus fieri possit cum Officiali habente officium gravatum in vim sponsionis, dationis pecuniæ cum periculo, vel etiam in vim contractûs societatis, habità ratione fructuum quibus sibi respondent personæ recognoscentes bonam fidem, attamen in casu nostro cùm ineuntes societatem eorum contractum hoc nomine societatis officii agant nec cogitando quidem de hujusmodi modis contrahent qui possunt admitti gravato etiam officio, utique si non valet ut agitur, neque etiam valere debet ut valere posset, ad reg. l. 1. §. Si *quis ita*; & hic Bartolus *n.* 2. *ff. de verb. oblig.* & l. *non codicillum*, ubi Alex. *in princ. cod. de test.*

Pro solutione hujus argumenti quod attinet ad nomen,
65 quod contractui dederunt contrahentes parum est laborandum, cùm non à nomine, sed à pactis conventionibus & circumstantiis quas fortitus est, qualitatem sumat & naturam, ut optimè Conrad. *de Contract. qu.* 33. *in* 1. *&* 3. *supposit.* ubi sexcentis exemplis & autoritatibus probat non valere hanc consequentiam: contractus talis vocatur à contrahentibus; ergò talis est judicandus Præterquam quod huic contractui nostro etiam remoto officio fundamento convenit nomen societatis respectu fructuum; si qui ab illis debentur, quorum favore officium obligavit, ut suprà testigimus, *n.* 36. & infra probavimus.

Quod verò dicitur contrahentes in coeunda societate ne cogitasse quidem de hujusmodi contractibus innominatis, qui gravato etiam officio liciti censetur; admittimus eos expressè & specificè non cogitasse de alia contractus specie diversa à societate officii, negamus tamen eosdem talem implicitè virtualiter & in genere mentem non direxisse ad hujusmodi etiam contractus, eo enim ipso quod celebrare intellexerunt contractam talibus circumstantiis indutum & actum validum gerere, simul etiam tacitè voluerunt contractum justum bona fide inire, nam contractus talibus concurrentibus circumstantiis in aliam speciem contractus transire videtur; nec potest valere aut justus esse, nisi ut est reducibilis ad hujusmodi contractus innominatos. Quare ex præsumpta & verisimili mente contrahentium sustineri debet ad gloss. *ultim. in fin.* communiter approbatam, *in leg. Tale pactum*, §. *fin ff. de pact.* Ita in simili casu respondet Conrad. *de Contract. q.* 34. *post tertiam conclusionem in tertio argumento.*

Neque obstat reg. *d.* §. *Si quis ita*, nam in primis ani- 66
madverto hanc regulam esse brocardicam, imò contrariam regulam esse longè universaliorem, ita ut respectu illius hic §. Dici possit exceptio potiùs ad regulam quam regula ut hic tradit Jas. *n.* 21. nam ut inquit Abb. *consil.* 67. *In causa quæ vertitur*, *col.* 2. *n.* 2. *vers. Nec obstat si dicatur part.* 2. In dubio quis videtur facere actum omni meliori modò quo potest, sequitur Roland. à Valle *consil.* 67. *nu.* 13. *cum seqq. volum.* 1. Quare contrariæ regulæ standum erit quamdiù non probetur exceptio, ad Bart. *in l.* 2. *ff. Si quis in jus vocat DD. in rubr. ff. de reg. jur. & in l. Omnis definitio*, *eodem tit.* Præterea quatenùs etiam pro regula habendum esset, ut quoties actus non valet eo modo quo agitur, neo valeat ut valere potest: Respondeo hujusmodi regulam inter alias multas præcipuè duas recipere declarationes quæ maximè conferunt ad rem nostram. Prima est, ut procedat in casu in quo contrahentes sciebant actum eo modo gestum non valere, ut declarat Raph. Cumanus, quem refert, ut sequitur Alexand. *in cit.* §. *Si quis ita*, *n.* 8. Tunc enim præsumitur facere velle actum eluforium, argum. *l. Non solùm*, *ff. de act. & obligat.* Secùs vero ubi contrahentes id probabiliter ignorabant, ut in casu proposito, nam tunc cessat præsumptio actus eluforii & succedit alia præsumptio pro actûs validitate quæ tanquam potior ac firmior, alias omnes elidit, argum. *l. Divus*, *ff. de integr. restit. minor.* Secunda regulæ declaratio est, ut 67
non habeat locum quandò actus juramento fuit confirmatus, ea enim est potentia juramenti, ut faciat actum valere omni meliori modo quo potest, Barthol. Alexand. & Jas. in d. § *Si quis ita*, tradunt Doctores *in l. Cùm pater*, § *Filius matrem ff. delegat.* 2. Covar. 2. *parte relect.* §. 6. *col.* 2. *vers. Decima tertia*, *ante numerum secundum*, ubi de communi testatur quod procedit etiam si actus eo modo, quo 68
gestus est, nullus sit ex defectu formæ, Honde d. *consil.* 307. *n.* 41. Cùm itaque contrahentes ex inveterata jam consuetudine in hoc contractu juramentum adhibere soleant virtute hujus Sacramenti sustineri debet eo modo, quo valere potest; præsertim cùm agatur de evitando usuræ crimine eaque semper sit facienda interpretatio ut contractus neque usurarius, neque injustus judicetur, Hieronim. Gabr. *cons.* 168. *q.* 6. *n.* 12. *lib* 1. *& cons.* 159. *n.* 3. *vol.* 2. Bero. *cons.* 169. *n.* 19. *vol.* 1.

His accedat quòd homines per se & non per interpositas personas non clam, sed palam celebrarunt hujusmodi contractum spatio longissimi temporis, idque fecerunt tolerantibus Superioribus tam Ecclesiasticis quam sæcularibus. Tales contractus communi hominum opinione habiti sunt pro justis & licitis; ab omnibus indifferenter celebrati fuere, à doctis gravibus & prudentibus viris timoratæque conscientiæ; Confessarii nunquam contrahentibus absolutionem sacramentalem denegarunt; imò ne admonuerunt quidem unquam de injustitia horum contractuum; sæpè ac sæpiùs accidit, ut accipientes pecunias super officio gravato ingentem illarum summam lucrati sint per mortem dantis vel illius qui ab eo fuerat nominatus. Hæc sanè omnia suadent ut contractus initus super officio gravato si non valet jure societatis, sustineatur eo modo quo valere potest saltem ex æquitate quæ in foro interiori maxima attendi solet. Præsertim quia contrahentes si scivissent illicitam esse societatem super officio gravato contractam libenter confugissent ad officium non gravatum, cùm ex hoc, quod officium sit gravatum nihil commodi atque utilitatis ad eos redundare possit; quare iniquum videtur ut decepti autoritate consuetudinis à Superioribus non improbatæ sine culpa sentiant hoc gravissimum damnum restitutionis fructuum perceptorum ad quam tenentur si contractus est usurarius, ut cap. *Cum tu suprà eod. cum similib.* Et certè cùm Superiores tam Ecclesiastici quàm sæculares hunc contractum in Urbe & ubique locorum scienter toleraverint à tempore ferè immemorabili usque ad hanc diem, pium est credere id eos fecisse, quia viderunt ac prudenter confide-

rarunt talem contractum concurrente bona fide contrahentium fieri absque peccato & justè sustineri posse, cùm à parte rei inveniatur modus illum justificandi per reductionem ad contractum innominatum dationis pecuniæ cum periculo futuri eventus; vel certè ad contractum societatis initæ super fructibus officiali debitis ab illis in quorum gratiam officium obligatur, & ad hanc fortasse faciliùs redigetur, cùm majorem habeat cognationem & affinitatem cum societate ipsa contracta super fructibus officii & in habentibus simbolum facilior sit transitus, *l. Item veniunt*, §. *Cùm diximus*, *ff. de pet. hæred. cum vulg.* Et talis contractus quamvis initus super fructibus aliundè quæsitus quam ex
69 officio, adhuc tamen congruè retinebit nomen societatis officii. Primò ob originem, quam habuit, quia ortum duxit ab illo contractu societatis quem homines à principio frequentare cœperunt: prout in simili videmus nuptias sic
70 dictas, quia olim sponsa pudoris gratia obnubere ac velare folebat caput, *c. Hæc imago*, 31. *q.* 1. Hodiè quoque tali nomine appellari ob antiquum illum ritum, licèt jam abierit in desuetudinem. Secundò voluerunt fortassè Summi Pontifices hunc contractum celebratum super officio gravato hoc nomen habere ad scandalum evitandum, ut mos est Romanorum Pontificum, ut per Bero *cons.* 146. *n.* 27. *col.* 3. Ne scilicet homines vulgare ignorantes nomen contractus judicarent hunc contractum nomine mutui esse appellandum & ex consequenti cùm à Summo Pontifice permissum sit ex hujusmodi contractu lucrum quærere rei sibi temerè ac falsò persuaderent ex mutuo aliquid ultra sortem recipi posse. quam ob causam Rota in causa Romana Societatis coram Guplio, quæ habetur *decis.* 311. *n.* 6. & in alia Romana
71 Societatis coram Cardinali Blanchetto, quæ refertur *decis.* 337. *n.* 5. *part.* 4. *diversus*, dixit hujusmodi officia deservire solùm pro colorando contractu. Denique non ineptè hunc contractum societatem officii appellamus, quia fructus qui ab officiali percipiuntur à tertia persona, quamvis non proficiscatur immediatè ex ipso officio debentur tamen occasione & causa officii, cùm officialis aliorum gratia de contemplatione officium proprium obligaverit; quare latè saltem accepto vocabulo, dici possunt fructus officii, nam quidquid est causa causæ, dicitur esse causa causati, *leg. Manumissionis*, *ff. de just. & jur. cum vulg.* & à primordio tituli posterior formatur eventus, *l.* 1. §. *Lucrativus Cod. de impon. lucrat. descript. lib.* 10. Facit textus in l.
72 *Qui id quod*, *ff. de donat.* Hinc fit ut societas contracta super officio gravato extinguatur sublato officio, Rota *dec.* 291. *n.* 1. *& seqq. decis.* 308. *n.* 1. *&* 2. *part.* 4. *diversf.* Non solùm quia cùm originem duxerit à contractu illo primo super fructibus officii inito secundum illius naturam regulari debet; verùm etiam quia sublato officio auferitur officiali illud jus percipiendi fructus à personis, quarum beneficio fructus officii obligavit. Cùm enim tale jus ab officio tanquam à causa dependeat, cessante officio & ipsum jus cessare intelligitur, *c. Et si Christus circa fin. de jurejur. & c. Cùm cessante de appell.* Sicut igitur Navarr. *in Manuali cap.* 17. *n.* 275. optat à Summo Pontifice & ab Episcopis justam declarari consuetudinem in Gallia & in multis aliis Italiæ locis receptam, ut Ecclesiæ, viduæ, pupilli & similes personæ miserabiles dantes mercatoribus suas pecunias lucrentur quatuor aut quinque pro centum in sui sustentationem, cùm consuetudo talis legitimam originem habuerit & commodè defendi possit; ita fortè ab re non esset ut Ecclesia contractum hunc societatis initæ super officio gravato ab omni usura & injustitia alienum declararet, cùm à contractu licito originem duxerit, fundamentum habeat à parte rei & nullus dolus, nullaque fraus subsit ex parte contrahentium. Ita enim consuleretur & animarum saluti & Reipublicæ utilitati. Neque tot homines illaqueati tenerentur, nec damnum illud sequeretur in publicæ tranquillitatis perturbationem; quod suo tempore accidisse refert Pius IV. in sua Bulla hac de re edita in princ. de qua infrà *n.* 75.

73 Ex his apertè colligitur quam infirma sint argumenta, quæ in contrarium afferuntur. Primò enim quod aiunt re non existentem societatem super ea inire non posse id solum probat officio gravato ultra illius valorem contractum in
74 vim societatis officii propriè loquendo non subsistere quod & nos fatemur. Sed tamen negamus quin sustineri possit in vim aliorum contractuum, quorum suprà meminimus. Deindè quod dicunt ex re infructuosa lucrum sperare usurarium esse non officit conclusioni nostræ, quia falsum est quod ipsi gratis assumunt, officium gravatum omninò infructuosum esse, nam ejus causa & occasione habet officialis jus percipiendi tot fructus ab iis ad quos revera pervenerunt pecuniæ quot illorum contemplatione solvit tradenti pecunias, & ideò fructus tales non incongruè fructus officii licet appellare ut suprà ostendimus. Præterea si concedamus officium esse infructuosum, posquàm gravatum est pro quantitate totius valoris, non concedemus tamen socios hoc casu usuram incurrere, quia quod expectant aut accipiunt ab officiali, cui pecunias tradiderunt non expectant, aut accipiunt ratione officii absolutè ac simpliciter, sed ratione periculi, quod in se suscipiunt, tali pretio æstimabilis; ut similiter ostensum est suprà, hoc enim permissum & licitum esse præsertim extra causam mutui liquido constat ex iis, quæ ex mente ipsius Navar. *in Manual. & in consil.* 23. *de usur. suprà retulimus*, *n.* 59. quæ non obscurè indicant eumdem Navar. *consil.* 15. *Primum dubium col.* 5. *tit. de empt. & vendit.* nihil aliud sibi velle quam contractum super officio gravato celebratum jure societatis non subsistere; quin imò contrahentes usuram fortasse committere si depra- 75
vata intentione lucrum inhiantes & scientes ita contrahant in fraudem usurarum. His consequens est, ut conditio illa de qua per Pium IV. in sua Bulla incip. *Cùm sicut accepimus*, *in Bullar. tom.* 2. *pag.* 22. ut contractus societatis celebrari nequeat super officio pro quantitate valoris gravato, pertineat potius ad jus positivum, quàm ad jus naturale; cùm probatum sit, exhaustis officii fructibus contractum à parte rei habere posse fundamentum nec intrinsecè malum aut usurarum esse, quod videtur sensisse Rota, *decis.* 289. *n.* 1. *vers. Nec obstat periculum*, *part.* 4. *divers. & decis.* 117. *n.* 1. *part.* 2. *recent.* ubi decidit societatem officiorum sustineri duntaxat usque ad valorem officii, sed non ultra, idque tam ex forma Constitutionum summorum Pontificum quam ex dispositione juris communis, & allegat decis Cardin. Milin. *in Romana societatum* 29. *Januarii* 1602. quam refert & sequitur Gregorius XV. *decis.* 167. *num.* 1.

Quamvis enim talem conditionem desiderare videatur 76
natura contractus societatis officii, cùm hic contractus consistere nequeat sine fructibus ab officio manantibus Rota *decis.* 287. *n.* 1. *part.* 4. *divers.* Id tamen non est de natura contractus absolutè, ac simpliciter, ita ut contractus alio modo celebrans sine officii fructibus dividendi nullo modo possit. Aliud enim est, ut ad formam & naturam alicujus contractus aliquid necessariò requiratur, quod juris positivi esse potest, à quo dependet natura ac forma particularis contractus, ut per Doctores communiter in *l.* 1. *in princ. ff. de verb. obligat.* ubi de stipulatione in exemplum habemus. Aliud verò, ut contractus in genere ex sui natura simpliciter & absolutè seclusa omni humana Constitutione aliquid necessario postulet, quòd propriè dicatur esse juris naturalis, cui derogari non posse testantur Theologi & sequuntur Doctores nostri inter quos egregiè Bald. *in l.* 1. *n.* 37. *Cod. de Summa Trinit.* Hinc rectè Conrad. *de Contract. q* 83. *col.* 9. *vers. Quarta ratio*, quamvis, inquit, aliquid sit contra naturam contractus, naturam pro naturalibus aut substantialibus accipiendo; non tamen sequitur idcircò illicitum & damnandum, & hanc consequentiam: Id non patitur natura contractus; ergò contractus est injustus & illicitus, errorem atque irrationabilem esse probat eleganter, idem autor *q.* 89. *coroll.* 1.

Quod propterea illa conditio non sit propriè juris natura- 77
lis, elicitur ex Bullis hac de re editis Pauli Quarti & Pii Quarti. Primò, quia ponitur inter alias conditiones juris positivi: ergò ejusdem qualitatis, & naturæ censeri debet, argument. *l. Jam hoc jure*, §. *Sed si* & hic Bartol. *n.* 1. *ff. de vulg. pupil. & l. fin. Cod. de sentent.* Quod verò 78
aliæ conditiones sint juris positivi certissimum est, inter alia enim illa est præcipua, qua societates contrahi prohibentur super officiis in Romana Curia non existentibus. Quis autem dubitet etiam super aliis officiis contrahi ex natura sua legitimè posse, si aliqua fructifera reperiantur, ut revera reperiuntur? Nec obstat quod in Constitutione Pauli IV. 79
quæ incipit; *Inter cæteras*, *in Bullar. tom.* 1. *pag.* 723. contractus societatis aliter initi quam super officiis Romanæ Curiæ, declarentur illiciti, injusti, atque usurarii. Quandòquidem eamdem Constitutionem Pius IV cassavit, irritavit & annullavit cum omnibus in ea apositis clausulis; undè cùm in totum sit abrogata, nec Constitutio ipsa, neo illius ratio ad decisionem causarum aut in argumentum allegari potest, ut probat Dec. *in c.* 1. *n.* 11. 37. *& seqq. de Constit.* Secundo, quia Bulla Pii IV. cautum est, ut 80
qui ignoranter contrahunt societates super officio gravato, nullum ex hoc damnum & detrimentum sentiant atque ita simul cum fructibus recuperare possint, ut interpretatur Castracan. *in tract. de societ. c.* 6. *n.* 18. *cum seqq* Hoc 81
enim argumento satis patet talem conditionem non esse juris naturalis; quandòquidem in iis quæ juris naturalis sunt etsi bona fides excusare possit interdùm à peccato, nunquam tamen excusat à restitutione ubi aliquid quæsitum est ex illegitimo & usurario contractu, ut communiter Theologi fatentur & multi ex nostris, ut testatur Navarr. *cons.* 16. *Consuluit quidam*, *n.* 1. *de Usur.*

Ex abundanti diximus in prædicta Pii IV. Constitutione 82
nullum posse fieri fundamentum, quia non solùm nunquam fuit usu recepta neque Romanæ, neque alibi, cùm nullus

inventus fit ex officialibus, qui juridice officio privatus fuerit vigore dictæ Bullæ, neque ullus ex sociis qui ad fructuum contra formam Bullæ perceptorum restitutionem fuerit condemnatus, sed etiam per contrarium usum cùm juris positivi sit, abrogari potuit & de facto abrogata censeri debet, cùm inoleverit jam consuetudo longissimi temporis, quo officiales ad petitionem extraneæ personæ assumere quotidiè solent sibi socios super officio ultra illius valorem gravato scientibus & patientibus Romanis Pontificibus; & de hoc stilo Curiæ contrahendi societates officiorum super officiis ultra valorem gravatis attestantur Domini de Rota, *decis.* 310. *n.* 5. *part.* 4. *divers.* Quamvis enim
83 in Constitutionibus Apostolicis, quæ non à consensu populi sed ab autoritate à Christo Domino Summis Pontificibus attributa proficiscuntur admitti non possit propositio Navar. *cons.* 4. incip. *Pœna*, *n.* 4. *de injur. & damn. dat cons.* 10. *Per gratia*, *n.* 3. *de sent. excomm. lib.* 5. & aliorum quos cumulat Hieronim. Gabr. *cons.* 78. *n.* 9. *&* 10. *vol.* 2. asserentium illas non ligare, nisi sint usu receptæ, tamen admittenda est alia propositio tanquam sacris Canonibus consentanea & à Doctoribus ubique recepta; quod per contrarium usum cum scientia Papæ & longissimi temporis cursu abrogari valeant, ut optimè declarat Cardin. *in proœm. Clement. vers. Universitatis*, *n.* 3. *in fin.* Nulla enim est lex positiva per contrarium consuetudinem rationabilem & legitimè præscriptam abrogari non possit, *cap. Istis*, §. *Leges*, 4. *dist. c. fin.* ubi Canonistæ, *de consuet.* & scriplit Abb. *cons.* 7. *col. penult. in princ. lib.* 2. *vers. Et notanter*, Rom. *cons.* 512. *n.* 130. *in fin. vers. Tertio quia* Bart. & Doctores, *in l. De quibus*, *ff. de legib.* & in propriis terminis tradit Roland. *cons.* 73. *n.* 42. *lib.* 1. & de generali Urbis consuetudine ineundi in societatem officiorum super officiis alienis, Rota, *decis.* 311. *n.* 5. *part.* 4. *diversor.*

DE CRIMINE FALSI

D. Augustinus.

CAPUT I.

FAlsidicus testis tribus personis est obnoxius; primùm Deo, cujus præsentiam contineret: deindè judici, quem mentiendo fallit: postremò innocenti, quem falso testimonio lædit, uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.

SUMMARIUM.

1 TEstis falsidicus tres lædit, Deum, judicem & partem *&* n. 120. *usque ad* n. 133.
2 Falsi pœnâ tenetur testis, non modò si falsum dicit, sed etiam si veritatem occultat *&* n. 124. *&* seqq.
Declaratur n. 56. *&* seqq. n. 144.
3 Delicto unico potest quis lædere plures personas *&* tenetur omnibus satisfacere.
4 Et qui in pluribus offendit, in pluribus punitur.
5 Testis tenetur de falsa, si interrogatus super certo articulo, dicat se nescire aut non recordari, vel si deponat obscurè, versutè vel per malitiam *&* n. 143. *&* seqq.
6 Secùs si non jurasset vel non fuisset interrogatus.
7 Tacens veritatem quandò teneatur pœnâ falsi *&* peccet, latè declaratur *&* n. seqq.
Tacens veritatem peccat, quandò assumpsit officium testificandi, ibid.
8 Et est peccatum mortale *&* n. 124.
9 Idem est, quandò aliter ex alio officio assumpto tenetur dicere veritatem.
10 Et idem quandò ex alia causa ad id tenetur.
11 Tacens veritatem superioribus suis peccat.
Quod procedit etiam in tacente crimen capitale per ipsum commissum, n. 125.
12 Tacens veritatem non peccat, quandò non compellitur respondere *&* veritas aliter haberi potest.
13 Limitatur quandò procuraret ne veritas ab aliis posset haberi.
14 Tacens veritatem peccat, quandò non potest aliter de veritate liquere *&* proximus indè damnum patitur *&* n. 131.
15 Tacens veritatem ad favorem proximi, ne puniatur in causa criminali, non peccat.
16 Fallit primò quandò assumpsit officium testificandi vel aliàs ex officio tenetur.
17 Fallit secundò in subsidium, quandò veritas aliter haberi non potest.
18 Tacens veritatem in impetratione à Principe, peccat.
19 Paria sunt nocere injustè *&* justè prodesse nolle.
20 Jurans falsum, subauditendo aliquid in mente quod reddat sensum verum, an peccet mortaliter *&* n. seqq. usque in finem.
21 Quid si id faciat sine justa causa.
Et quid si justa causa subsit, n. 26. *&* n. seqq. usque in finem.
22 Juramenti finis est determinatam veritatem aperire *&* n. 133 *&* seqq.
Juramentum quod huic fini adversatur, non inducit mortale peccatum in materia levi, n. 24.
Contrarium n. 137.
23 Juramentum cui deest sola discretio, non ingerit culpam mortalem *&* n. 152.
24 Jurare loci causa Principem esse in oppido, intelligendo pictum, est grave peccatum, sed non mortale *&* n. 25.
Imò est mortale, n. 145. *&* seqq.
26 Jurare falsum ex justa causa, subauditendo aliquid in mente quod reddat sensum verum, nullam esse culpam; qui Autores senserint.
27 Et quibus fundamentis *&* n. seqq. usque ad n. 55.
Scriptura Sacra frequenter utitur verbis quæ secundum litteram videntur falsa, sunt tamen vera secundum implicitas subauditiones, ibid. *&* n. 161.
Declaratur n. 156. *&* seqq.
28 Deus audit verba nostra prout ex infirmis proferuntur, humanæ aures, prout foris sonant *&* n. 70.
Declaratur n. 76. 80. *&* 162. vers. Non obstat secundum.
29 Veritas aut falsitas sermonis non est accipienda ex verbis externis, sed ex intentione proferentis.
Contrarium n. 84.
Declaratur n. 76. *&* 162. vers. Non obstat secundum.
30 Verba deserviunt intentioni, non intentio verbis *&* n. 71.
31 Linguam ream non facit nisi rea mens *&* n. 72.
32 Mentiri est contra mentem ire *&* n. 163.
33 Mendacii ad rationem verba materialiter se habent, sed formalitas ex mente proferentis est accipienda *&* n. 87. in fine.
Declaratur n. 163.
34 Mendax non est qui dirigit gressus in aliquam partem ad quam ire non intendit *&* n. 164.
35 Omnio astruens perjurium non esse verbis falsum jurare & interna

interna subauditione verum concipere est probabilis & ideò eligi potest, licèt opposita sit probabilior ac tutior.
Contrarium n. 166.
36 Jurare se aliquid nescire, quod expedit sub secreto tegere, subaudiendo in mente, ita ut expediat revelare, multi opinantur non esse perjurium.
37 Idem in eo qui coactus jurat se pecuniam solutuum, subaudiendo intra se si erit debitor.
38 Idem in eo qui per metum jurat se acceptuum aliquam in uxorem, subintelligendo si mihi placuerit.
39 Idem in muliere quæ sciens occultum impedimentum dirimens, metu excommunicationis jurat se velle viro cohabitare, subaudiendo si mihi licebit.
40 Idem in eo qui pecuniâ egens, jurat se illam non habere, intelligendo ad mutuandum.
41 Idem in adultera quæ jurat se adulterium non commisisse, subaudiendo in alio die vel loco.
42 Idem in Clerico qui ut se eximat ab indebita solutione gabellæ, jurat se nihil portare, subaudiendo ex quo gabellam solvere teneatur.
43 Idem in viatore veniente ex loco qui peste infectus creditur & jurat se indè non venire, subintelligendo tanquam ex loco infecto.
44 Idem in pœnitente qui malè interrogatus à Sacerdote, falsò negat se confessum fuisse aliquid peccatum, subaudiendo, ita ut illud dicere teneatur.
45 Juramentum quotiès exigitur ad faciendum peccatum, potest quis jurare se facturum, subintelligendo intra se, si absque peccato id sibi licuerit.
Contrarium à n. 80. usque in finem.
46 Reus non juridicè interrogatus potest jurare se delictum non commisisse, intelligendo intra se prout jubet illi judicio *&* n. 129.
47 Et idem in teste qui jurat se nescire.
Contrarium n. 129.
48 Verbum nescio recipit hanc interpretationem, scilicet ad revelandum.
49 Jurans falsum in judicio ex justa causa, subaudiendo in mente aliquid quod reddat sensum verum, non peccat secundum aliquos.
50 Idem putant in eo qui occidit hominem ad sui defensionem vel putans esse feram *&* negat in judicio se occidisse, intelligendo intra se de facto criminoso *&* n. 127. 153. *&* seqq.
51 Idem in eo qui, ut sibi satisfaciat de injusta taxa, negat in judicio se fraudasse, intelligendo ita ut deliquerit.
52 Idem in eo qui ut se eximat ab imputatione homicidii quod non commisit, in judicio negat gladium repertum penes cadaver esse suum, subaudiendo in mente, quatenùs est indicium illius delicti.
53 Idem in eo qui ad sui sustentationem abscondit bona ne à creditoribus capiantur *&* negat judici se illa habere, subaudiendo ita ut teneatur manifestare.
54 Idem in eo qui cùm pecunias mutuò acceptas restituerit, in judicio negat mutuum, subintelligendo, ita ut teneatur solvere.
55 Mendacium non est uti verbis falsum significantibus, quandò attentis circumstantiis recipiunt sensum verum, juxta interrogantis intentionem quam respondens mente concipit.
Contrarium n. 153.
57 Mendacium omne ex suo genere est peccatum.
Adeò nec ad vitandam mortem aut pudicitiam servandam, nec pro salute animæ nec pro Dei gloria mentiri liceat, ibid.
58 Mendacio *&* odio Dei adeò intrinseca est malitia, ut nec per omnipotentium Dei absolutam possit aufferri.
59 Mendacium non est perniciosum, sed officiosum vel jocosum est peccatum veniale.
Sed addito juramento fit perjurium n. 60.
60 Perjurium est mendacium juramento firmatum.
61 Perjurium omne, quantumcumque mendacium sit leve, ex sui ratione est mortale.
62 Est grave scelus *&* in lege *&* in Prophetis *&* in Evangelio prohibitum.
63 A quo nec metus mortis excusat.
64 Per illud infertur veritati Dei atrocissima injuria quæ sine mortali esse non potest.
65 Mendacio interveniente ex universali regula, juramentum semper est mortale *&* n. 82.
66 Juramentum in foro animæ an sit interpretandum juxta intentionem recipientis vel jurantis altè distinguitur, ut n. seqq. usque ad n. 80.
67 Intellectus c. Quicumque arte 22. q. 5. *&* n. seqq. usque ad n. 81. maximè n. 76.
68 Jurans falsum super lapidem, perjurus est.
69 Sermo malus totiès procedit de ore nostro ad destructionem audientium quotiès loquimur non ut convenit audientibus Fagnan. in V. Lib. Decretal.
& n. 136
70 Intellectus, c. Humanæ aures 22. q. 5. *&* n. seqq. usque ad n. 80. maximè n. 76. *&* 162. vers. non obstat secundum.
71 Intentio non debet verbis deservire, sed verba intentioni.
72 Perjurium est, non quod quis ore linguâve protulit, sed mente juratâ concepit *&* animo.
Declaratur n. 76.
73 Juramentum in consilio animæ secundum intentionem jurantis recipit interpretationem, sed in judicio secundum jus ex sententia Innocentii.
74 Contrarium.
Declaratur n. 76.
75 Jurantis intentio non ita est attendenda, ut sit in libertate sua exponere verba ut vult, sed secundum id quod communiter intelligitur.
76 Juramentum, si non sit eadem intentio jurantis *&* suscipientis, in foro animæ accipiendum est juxta sanum intellectum ejus qui dolum non adhibet *&* n. 80. *&* 162. vers. Non obstat secundum.
77 Jurantis *&* recipientis simplicem extensionem considerat Deus *&* ex parte utriusque verborum artem aspernatur *&* odit.
79 Jurare falsum subaudiendo aliquid in mente quod reddat sensum verum, esse peccatum mortale latissimè ostenditur n. seqq. usque ad n. 138.
80 Juramentum artificiosè compositum ad fallendum proximum accipit Deus secundum quod is qui juratur intelligere debet juxta rectam intelligentiam verborum.
81 Lingua loquentis est tuba cordis.
82 Mendacium juramento firmatum in quacumque materia *&* ex quacumque causa, semper est peccatum mortale *&* n. 88.
83 Mendacium committit qui scienter utitur falsâ significatione vocis *&* aliud subaudit in mente quod reddat sensum verum *&* n. seqq. usque ad n. 96. *&* n. 146.
84 Mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi.
Id est falsum dicendi, n. 88. *&* seqq.
85 Falli *&* errare est unum pro alio seu falsum pro vero putare.
86 Juramentum in quacumque materia est mortale, si verba sunt falsa.
87 Subauditio implicita in mente retenta non excusat quin sit falsa vocis significatio *&* n. 97. usque ad n. 102. *&* n. 111. *&* 147.
88 Fallit quisquis falsum loquitur, etiamsi audiens non fallatur, quia fallaciam intendit secundum quod est in fallente *&* n. seqq.
89 Mendacia si non habent quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur.
Mendacii ratio sumitur à voluntate falsum enunciandi; intentio autem imprimendi falsum in alterius opinionem fallendo ipsum non pertinet ad rationem mendacii, sed aliquamdam illius præsentationem, ibidem.
90 Mendax est qui linguâ profert contrarium ejus quod mente gerit *&* n. seq.
91 Mendacii ratio formalit consistit in difformitate *&* dissonantia verborum ab intentione.
92 Mentientis malum est unum habere clausum in pectore, aliud peremptum in lingua.
93 Voces cùm sint signa intellectûs, innaturale est ut aliquis voce significet quod habet in mente.
94 Juramenti verba si non admittant sensum quem jurans mente concipit à perjurio non excusant.
97 Vox externa quæ significat falsum, in nullo casu admittit subauditionem internam quæ significat verum *&* n. seqq. usque ad n. 102.
98 Verum *&* falsum invicem sunt contraria *&* esse non possunt in eodem subjecto.
99 Perjurium est aliquid juramento promittere, subaudiendo in mente conditionem naturâ impossibilem.
100 Conditio impossibilis naturâ vitiat stipulationem.
101 Esse *&* non esse contradictoriè sunt opposita.
102 Perjurus est qui apparenter jurat, sed intentionem habet aut non jurandi aut se juramento non obligandi, aut promissionem juratam non adimplendi.
103 Mendacium est materia omninò contraria juramento tam interiori quàm exteriori.
104 Jurat is in dolo, in cujus mente est non sic se facturum ut promittit.
105 Perjurus est antequam juret, qui pejerare paratus est.
106 Infidelium sectas ore profiteri, subaudiendo in corde si mihi liceat, nefas est Christiano.
107 Juramentum est actus latriæ.
108 Juramento firmare id quod nihil est, perjurium est.
109 Verum *&* nihil sunt contradictoriè opposita.
110 Juramentum cui veritas non est comes, est perjurium id